GREGORII MAJANSII ... TRACTATUS DE HISPANA PROGENIE...

Gregorio Mayans y Siscar




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
11 M I
29


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE


TRACTATUS

DE

HISPANA PROGENIE

VOCIS UR.






GREGORII MAJANSII,

GENEROSI VALENTINI,
HISPANIARUM REGI
CAROLO III.
A CONSILIIS,
XIIVIRI HONORARII
LITIBUS JUDICANDIS IN AULA ATQUE URBE REGIA,

TRACTATUS
DE HISPANA PROGENIE
VOCIS UR.

B. Paulus Epist. ad Colos. cap. III. ℣. 11.


OMNIA ET IN OMNIBUS CHRISTUS.



MADRIDII.

Apud ANTONIUM SANCHA, in Platea
de la Aduana Vieja.

ANNO M. DCC. LXXIX.



EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO
D. EMMANUELI
DE RODA
ET ARRIETA,
CAROLO III.
HISPANIARUM REGI
A CONSILIIS INTIMIS,
ET IN OMNIBUS REGIÆ GRATIÆ JUSTITIÆ-QUE NEGOTIIS AB EPISTOLIS,
GREGORIUS MAJANSIUS
GENEROSUS VALENTINUS
S. D.

EXCELLENTISSIME DOMINE

SOleo sæpe considerare ingentia TUA erga me beneficia; & in illis ego nihil tanti facio, quàm animi TUI gratio-

tiosissimi erga me constantiam, qua me semper meosque amplexus es. Qua ratione rependam tantam benevolentiam, certe nescio. Debeo vero eximiam TUAM benignitatem publice confiteri, testarique. Multi anni sunt ex quo Academia Latina Ienensis toto orbe celeberrima, titulo Socii sui Honorarii me decoravit: cumque ego gratias illi deberem agere, obtuli ei *Tractatum de Hispana Progenie Vocis Ur*, argumentum novum, & futurum non ingratum eruditis lectoribus ob Hispanæ Chorographiæ illustrationem. Quod si ob hanc caussam TIBI placuerit, erit quod mihi gaudeam. Vale, VIR insignis, probitate, eruditione, & sapientia. Valentiæ Edetanorum, VII. Idus Majas, natali meo sacro B. Gregorio Nazianzeno, quo die (Deo gratias) annum octuagesimum implevi. An. MDCCLXXIX.

PER-

PERILLUSTRI DOMINO
GREGORIO MAJANSIO,

GENEROSO VALENTINO,

HISPANIÆ OMNIS ERUDITÆ
ornamento summo, Societat. Latinæ jussu
S. P. D.
JOHAN. GOTTFRIED. MULLERUS
Liber. Art. Magist. & Societ. ab Epistol.

QUO luculentius jam pridem, tum inter omnes, tum inter Latinos præcipue Sodales constitit, generoso Te perillustris Domine, & excelso animo de litterarum dignitate atque ornamento cogitare; eo majori nunc jure gloriandum hi sibi esse existimant, quum Tibi, at quanti viri! in consortium suum adlegendi confidentius aliquanto consilium, probatum Tibi fuisse ex litteris fastigio non minus tuo, quam humanitate dignissimis, intelligunt. At vero quæ ex principum omnis doctrinæ virorum erga ipsam voluntate necessitatem laboris sui gratiamque metiri solita adhuc fuit Societas Latina impense omnino lætatur, abs Te, summo fugientium Musarum in Hispania statore, belle se adeo comiterque haberi, ut admirandæ prorsus eruditionis tuæ documentum exspectare propediem ipsi liceat, quo quidem Actis suis eximium conciliare decus splendorem-

remque possit. Age itaque, Vir summe, nostrumque, magna & inusitata, abs Te scilicet profecta, litterarum monimenta noscendi desiderium explere, Germaniæ vero nostræ novum Hispanis tuis Te invidendi argumentum præbere sustine! Qua quidem honorificentissima Societati nostræ, summi favoris tui testificatione ita obstrictos nos Tibi devinctosque reddes, ut pietatem in Te nostram, observantiamque, quacumque fieri ratione poterit, certissimeque simus declaraturi. Vale, Domine, Societatem nostram Tibi habe commendatissimam; me vero, ni plane indignus Tibi videor, ingenti admiratorum Tui clientumque numero adscribe. Scrib. a. d. IIII. id. decembr. anni, A. V. P. CIϽIϽCCLIIII. Ienæ.

SO-

SOCIETAS LATINA
QUÆ ATHENIS
PROPTER SALAM EST
VIRUM PERILLUSTREM
GREGORIUM MAJANSIUM,

GENEROS. VALENTIN.

JURISCONSULT. CELEBERR.

OB PROBATAM PURAE LATINITATIS SCIENTIAM ET PRAECLARA IN LITTERAS ELEGANTIORES MERITA LIBERIS OMNIUM SUFFRAGIIS ELECTUM, NUMERO SOCIORUM HONORARIORUM ADSCRIPSIT.

IENÆ
ANN. A SOT. NAT.
CIϽIϽCCLIV.

Henricus Vicesimus
Sextus Ruthenus,
Comes ac Dominus
de Plavia Præses.

Locus
Sigilli.

M. T. CICERO COS.
[Locus effigiei Cic.]
HOC DVCE.

Jo. Ernestus Imman.
Walchius phil. doct.
& prof. publicus Societatis Director.

Jo. Gottfried. Mullerus A. M.
Societatis h. t. ab epistolis.

VI-

VIRO DOCTISSIMO,

ET HUMANISSIMO

JOHAN. GOTTFRIED. MULLERO,

Liberal. Art. Magistro , & Societatis Ienensis ab Epistolis,

GREG. MAJANSIUS,

GENEROSUS VALENTINUS,

S. D.

LItteris tuis ad me datis , jussu Illustrissimæ Societatis nostræ scriptis , nihil unquam legi quod fuerit mihi æque honorificum. Gratias ago habeoque Tibi immortales. Ipsæ litteræ satis superque mihi declarant judicium, doctrinam , humanitatem tuam.

Dissertationi Academicæ summam adhibeo diligentiam. Omnes alias occupationes intermisi , ut huic unice incumbam ; & Amplissimæ Societatis benevolæ exspectationi satisfaciam. Præ gaudio exsilio quod Te tantum virum , amicum habeam. Si jussa Tua mihi injunxeris , magis abs Te amari intelligam. Jube igitur & vale , eruditissime vir. Olivæ VIII. Eidus Martias An. MDCCLV.

IL-

XIII.

ILLUSTRISSIMÆ

SOCIETATI LATINÆ IENENSI

GREG. MAJANSIUS

GENEROSUS VALENTINUS.

S. D.

QUOD me nihil tam honorificum sperantem, neque cogitantem, liberis omnium vestrum suffragiis numero Sociorum Honorariorum adscribere voluistis, vestræ liberalitatis munus est præstantissimum. Erit autem officii mei animum erigere ad ea suscipienda & peragenda, quæ, si vestræ de me opinioni non respondebunt; indicabunt saltem, me de Vobis benemereri cupere. Dissertationem scribere cogito *De Hispana Progenie vocis* UR. Huic obscurissimo argumento quam potero, lucem afferam. Et si qua deerit, a Vobis eam accipiet. Ego animum polliceor in omne ævum erga Vos gratissimum. Valete, Litterarum Statores, ac Deo favente, nostrum Ordinem amplissimum per omnem Terrarum ambitum immortalibus scriptis pergite facere honoratissimum. Olivæ IV. Eidus Octobris, anno MDCCLIV.

IN-

INDEX

CAPITUM EPISTOLÆ

DE HISPANA PROGENIE

VOCIS UR.

BERG,

ERRATA IN HOC VOLUMINE corrigenda.

Pag.	*Lin.*	*Errat.*	*Corrige*
2.	9.	consignata	consignatæ
6.	14.	*Genesi*	*Genesim*
55.	22.	sedis	sedes
57.	29.	multarum	multorum
77.	ult.	*nomitatur*	*nominatur*
136.	11.	Veriathus	Viriathus
180.	28.	babeant	habeant
191.	25.	*instituerun.*	*instituerunt.*
223.	20.	*Lib.* 11. *c.* 90.	*Lib.* 11. *cap.* 90.)
273.	7.	JUSTINUM	JUSTINUM *Lib*.44. *c.* 5.
285.	24.	Perhiboca	Perhibœa

ILLUSTRISSIMÆ SOCIETATI LATINÆ IENENSI GREG. MAJANSIUS.

GENEROSUS VALENTINUS

S. D.

CAPUT I.

Proponitur Argumentum de Hispana Progenie vocis UR.

1. EX quo Sociis tuis Honorariis me licet immeritum, abs te, SOCIETAS Amplissima, aggregatum intellexi; cogitare cœpi, qua tandem ratione tuæ de me magnificæ opinioni respondere possem, non tam meæ, quam tuæ existimationis caussa, quæ viros soles eligere summa præditos eruditione, quam tanto honori parem in me non esse confiteor. Statim illud in mentem mihi venit, suscipere me debere Argumentum, quod si ob sterilitatem parum amoenum videretur; judicium potius in eo deligendo desideraretur, quam doctrina, quæ locum in illis vix haberet. Statui igitur scribere *De Hispana Progenie vocis* UR, sive de Hispaniæ Coloniis, in qui-

bus hæc vox, aut alia ab illa derivata invenitur. Quod argumentum ob antiquitatem obscurissimum est; ob novitatem non ingratum; ob summam vero difficultatem, aliquam mihi conciliabit gratiam, si lucem adhuc insperatam illi attulero. Agam de temporibus ab hoc nostro remotissimis; de rebus quæ, si ab aliis scriptoribus aliqua in parte litteris consignata fuerunt, perinde se habent ac si scriptæ non essent: & dubitari potest, an si Turdetanorum scripta, qui omnium Hispanorum doctissimi judicati sunt, hodie superessent, veras Hispaniæ origines indagare possemus, cum ex Strabone facile colligatur, ea fuisse valde fabulosa, quod Hispaniæ commune est cum fere omnium gentium Nationibus.

2. Scio Græcos præ cæteris gentibus gloriatos fuisse propterea quod nulla apud eos civitas exstitit paullo memorabilis, quæ suarum rerum unum, aut plures scriptores non habuerit: sed in quæstionem venire potest, utrum in originibus suis indagandis feliciores præ aliis, an infeliciores fuerint. Nam homines ambitiosi de suarum originum antiquitate certantes, eò majori licentia mentiti sunt, quò magis ingenii cultura instructi fuerunt. Itaque in illorum scriptis frequentissime videmus, eos suas origines traxisse ab heroicis temporibus, HOMERO civitatibus omnibus conditores facile præbente, ob similitudinem sonorum propriorum nomi-

num

num Heroum & Oppidorum. Quamobrem qui Trojano Bello interfuerunt, videntur fuisse egregii humani generis propagatores, cum fere omnes recenseantur inter Coloniarum ductores; ex quibus longæ Regum series deductæ; horum singulis tributæ res gestæ præclarissimæ: & quò plus ab his Barbarorum (ut ipsi vocabant) Regna scriptis illustrata sunt, eò magis veritas obscurata, & speciosis fabulis involuta est; ut dubitare possimus, docta ne magis ignoratio, an diligens investigatio profutura sit, ob difficultatem distinguendi vera a falsis.

3. M. PORCIUS CATO, ut refert CORNELIUS NEPOS, senex Historias scribere instituit, quarum fuerunt libri septem: secundus & tertius continebant, unde quæque Civitas orta sit Italica: ob quam rem omnes libros *Origines* videtur appellasse. Quis negabit a Græcis omnia mutuatum fuisse, cum testetur ipse LIVIUS *Lib. VII. cap.* 3. GN. GENUTIO L. ÆMILIO MAMERCO II. Coss. (anno scilicet Varroniano u. c. CCCXCI.) raras litteras fuisse in ipsa urbe Imperii Romani capite.

4. Ad Hispaniam quod attinet, ASCLEPIADES MYRLEANUS, qui ut ait STRABO *Lib. III. pag.* 108. in Turdetania Grammaticam docuit, & descriptionem gentium in istis regionibus agentium edidit, more Græco scripsit, repetens origines ab Iliacis temporibus Heroibusque. Sic enim de hoc scri-

ptore ait STRABO post mentionem Ulisseæ, & in ea fani Minervæ. „*Is tradit, moni-„menta errorum Ulyssis in templo illo Mi-„nervæ affixa esse, aspides, & summa na-„vium rostra. Apud Callaicos autem conse-„disse quosdam qui Teucrum in bellum fue-„rant sequuti: ibique fuisse urbes, quarum „una Hellenes diceretur, id est, Græci, „altera Amphilochi: mortuo scilicet ibi Am-„philoco, & sociis usque ad mediterranea „vagatis: quin & id ait se comperisse, quos-„dam Herculis sociorum, & a Messena in-„habitasse Hispaniam: partem Cantabriæ „a Laconibus occupatam fuisse, & is & alii „perhibent: ibique Opsicellam urbem condi-„tam ab Opsicella, qui cúm Antenore ejus-„que liberis in Italiam trajecit.*„ Ex his colligi potest, cujusmodi fuerint Asclepiadis scripta, Grammatici videlicet in HOMERO investigantis Hispanorum populorum origines. Quapropter cum frequentissimum sit exinde repetere oppidorum initia; cum his accedant recentium scriptorum figmenta, aniles fabulæ, & credula erga patriam pietas; facile apparet, quam difficile sit vera a falsis segregare, & de rebus antiquissimis cordate scribere.

5. Occupavit in Hispania hoc Argumentum, non solum quatenus spectat ad oppidorum, sed etiam ad linguæ origines, eruditissimus vir, BERNARDUS ALDRETE, semper a me cum laude nominandus; sed ad

ad unam, eandemque metam variæ viæ esse possunt; & ego eam elegi, quæ a me prius degrumata & strata, ab aliis postea facilius, feliciusque iniri possit. Ad propositum igitur.

CAP. II.

De significatione vocis UR.

I. GENES. *cap. XI. vers.* 31. ita legimus: *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, & eduxit eos de* UR *Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan; veneruntque usque Haran, & habitaverunt ibi.* Sunt qui dicant, UR hic significare *vallem*, ut apud ISAIAM, *cap. XXIV. vers.* 15. & ibi Sanctes Pagninus: & etiam hodie apud Vascones *Irura* vallem significat. Fortasse UR situm erat in valle, qui situs oppidis accommodatissimus est: nam ibi plurima commoda solent esse: bona valetudo, propterea quod valles tutæ sunt a vi ventorum, quia montibus circundatæ sunt: fertilitas, eò enim ex montibus descendit flos terræ, & aquæ irriguæ ex fontibus: amoenitas, quia contiguæ sunt ex una parte collibus, ex altera agris excolendis: commoditas, quia facile inservitur pastoritiæ & agriculturæ; ac silvæ cæduæ parum distant,

ut plura alia omittam. Mirum igitur non est si UR esset in valle. Sed si in laudato GENES. loco UR vallem significaret, non dixisset MOSES *eodem cap. vers.* 28. *mortuusque est Aram ante Thare in terra nativitatis suæ in* UR *Chaldæorum*: nemo enim sic loqueretur, *in terra nativitatis suæ in valle Chaldæorum*, cum plures valles Chaldæorum essent; sed hoc modo, *in* UR (hoc est in valle) *Chaldæorum*, *in terra nativitatis suæ*, ut hæc postrema verba *vallem* designarent. Alia igitur significatio quærenda est.

2. B. HIERONYMUS *in Quæstionibus*, *sive Traditionibus in Genesi*, ita scripsit ad *vers.* 28. „Pro eo quod legimus *in Regio*„*ne Chaldæorum*, in Hebræo habetur UR „*Chasdim*, id est, in igne Chaldæorum. „Tradunt autem Hebræi ex hac occasio„ne istiusmodi fabulam. Quod Abraham „in ignem missus sit, quia ignem adora„re noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei „auxilio liberatus de idololatriæ igne profu„gerit. Quod in sequentibus scribitur, egres„sum esse Tharan cum sobole sua de regio„ne Chaldæorum: pro eo, quod in Hebræo „habetur, *de incendio Chaldæorum*: quod „videlicet ignem nolens adorare, igne con„sumptus sit. „ Hæc fabula legitur in *Medras Haggada*, eamque repetunt SALOMON IARCHI; R. MOSES MAIMONIDES Gerundensis, & MANASSES BEN-ISRAEL in *Conciliatore*. Quod vero ait HIERONYMUS, Chal-

dæos

dæos ignem coluisse, comprobat *Chronici Alexandrini* Auctor ita scribens *pag.* 64. *Nemrodo autem cognomen Nini imposuerunt. Hic pro Deo Ignem colere docuit. Unde primum eum post Diluvium, Assyrii Regem fecere Nini cognomine imposito.* Quanquam quod ait de *Nino*, de *Belo* dicere debuit. Fortasse fabula a B. HIERONYMO relata originem habuit ex male intellecto Esdræ loco: nam apud librum II. cap. 9. vers. 7. Israëlitæ Deum orant. *Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram, & eduxisti eum de igne Chaldæorum, & posuisti nomen ejus Abraham.* Ubi vocabulum illud UR, *caminum* interpretatus est sapientissimus BENEDICTUS ARIAS MONTANUS. Sed insignis differentia animadvertenda est: nam hic loquuntur Israëlitæ de mirabili Dei Providentia: GENES. autem XI. vers. 31. narravit Moses quid Thare fecerit. Dicam explicatè. Eduxit Deus *Abram de igne Chaldæorum*, hoc est, de cultu Ignis: Thare vero, qui semper fuit idololatra, ut constat ex JOSUE, *cap. V. vers.* 6. &, qui, ut credere par est, UR, sive Ignis, cultor fuit, eduxit eum ex UR, id est, ex Urbe ita dicta ob cultum Ignis. Et hunc verum esse sacri Historici sensum ostenderunt LXX. qui ad evitandam homonymiam non πυρ, sed χώραν transtulerunt. *E regione*, inquiunt, *Chaldæorum*: qua ratione JOSEPHUS eundem locum interpretatus est *Antiquit. Judaicar. Lib. I. cap.* 7. Erat

autem UR in Mesopotamia, ut ex Actibus Apostolicis colligitur, *cap.* 7. *vers.* 2. EUPOLEMUS apud EUSEBIUM *Præparationis Evangelicæ Lib.* IX. *cap.* 17. *ætate decima tradit Abrahamum natum esse Camarinæ, quæ Babyloniæ civitas est; quamque Urien nonnulli vocant, Græci Chaldæopolin, interpretantur. Nonnullos* intellige Hebræos, non illos quidem existimantes, UR esse Ignem, sed Civitatem, quam Græci vocant *Chaldæopolin*, pro *Chaldæis* intelligentes Sacerdotes aut Principes, qui dicebantur *Camarim*, ut colligit JOSEPHUS SCALIGER Berosi fragmentum enarrans, *pag.* XI. Ab UR nominata fuit *Orchse* tota illa regio, ut videre est apud PTOLEMÆUM *Lib.* V. *cap.* 20. Dictum vero fuit UR *Chaldæorum* ad differentiam alterius urbis cognominis. Equidem AMMIANUS MARCELLINUS *Lib.* XXV. *cap.* II. memorat UR, Persicum Castellum. *Persæ* (ut refert JULIUS FIRMICUS *Lib. de errore prof. relig.*) *& Magi omnes, qui Persiæ Regionis incolebant fines, Ignem præferunt, & omnibus elementis putant debere præponi*: quem cultum MAXIMUS TYRIUS volebat esse symbolicum. *Dissertatione* XXXIII. *Barbari omnes* (inquit) *pariter Deum intelligunt. Constituere interim sibi alia, atque alia signa. Ignem Persæ, imaginem, quæ unam duret diem, vorax quid & insatiabile.* Fuit etiam *Ura* Palmyrenorum locus ad Euphratem, cujus meminit

PLI-

PLINIUS *Lib. V. cap.* 24. & PTOLEMÆUS *Lib. V. cap.* 15.

3. Hinc mirandum non est, plurima esse in Hispania oppidorum nomina, quæ a voce UR incipiunt, aut in illam desinunt, aliquando cum aliqua productione pro linguarum diversitate, semper tamen cum significatione *oppidi*.

CAP. III.

De propagatione vocis UR *in Hispania.*

1. INcipiamus igitur a GRACCURRI, ubi nulla est dubitatio, ut ex certis incerta facili negotio conjiciamus. Elegans est FESTI POMPEII testimonium sic habens: *Gracchuris urbs Hiberæ regionis dicta a Graccho Sempronio: quæ antea Ilurcis nominabatur*. Idem igitur est GRACCURRIS (sic scribendum esse hoc nomen antiqui nummi quos habeo, me docent) ac *Gracci Urbs*, sita in Vasconia, cujus urbes recensuit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. cumque Vascones essent in Celtiberia, non illa sic proprie dicta, de qua idem PTOLEMÆUS *eodem Lib. & capite*; sed in ea Hispaniæ parte, quæ extra Hiberiam antiquam erat, & Gracci tempore Celtiberia dicebatur; ideo Livii Epitomator *Lib. XLI.* eam adjudicavit Celtiberiæ, cum ita scripsit: *Tib. Sempronius Gracchus Proconsule Celti-*

tiberos victos in deditionem accepit : monimentumque operum suorum Graccurrim oppidum in Hispania constituit. Contigit hoc anno Varroniano u. c. DLXXV. Q. Fulvio, & L. Manlio Coss. Quo anno de Celtiberia triumphavit Tib. Sempronius Graccus. *Quod autem dixit Polybius, Tib. Graccum ccc. urbes Celtiberorum dejecisse, id* (Possidonius) *comice exagitat, in Gracci gratiam inquiens ab eo turribus urbium nomen inditum, ut fit in pompis triumphalibus*, admonente STRABONE *Lib. III. pag.* 112. Gracurris meminit ANTONINUS in *Itinere ab Asturica Tarraconem*. Ex veteribus nummis discimus fuisse Municipium, & ejus Municipes *Graccurritani* dicti fuerunt Latinienses, docente PLINIO *Lib. III. cap. 3*.

2. Equidem si *Graccurris* significat Gracci oppidum, similiter etiam *Bituris*, *Calagurris*, *Esuris*, *Ilarcuris*, *Laccuris*, & *Larcuris*, oppida etiam significabant, nominis mutatione in prima parte ignota, cujus significatio nos later, ut lateret etiam GRACCURRIS, si Graccum nesciremus.

CAP.

CAP. IV.

De oppidis Hispanis, quorum nomina ab UR *incipiunt.*

1. SED ut ad propositum Argumentum propius accedamus; ante omnia exponemus nomina ab UR incipientia in quibus UR significat *oppidum*. Sunt autem sequentia.

2. URBICUA, oppidum occurrit apud T. LIVIUM *Lib. XL. cap.* 16. ubi refert res gestas Q. Fulvii Flacci, Prætoris Hispaniæ Citerioris. PETRUS ANTONIUS BEUTER *Lib. I. cap.* 21. *pag.* 119. vocavit eam *Urbienam* (errore fortasse typographico ex scripturæ similitudine orto) & dixit eandem esse ac *Arbeca*, quam opinionem assensum sustinentes retulerunt JOHANNES VASÆUS ad A. U. C. DLXXII. & AMBROSIUS MORALES in *Antiquit. fol.* 12. ubi ait, oppidum vocatum *Arbeca* fortasse cognitum esse in Regno Aragonum. Idem MORALES *Lib. VII. cap.* 18. *fol.* 87. tacite designans Beuterum & Vasæum, dixit, aliquos cogitare esse *Villam Arbezam in Regno Valentiæ*. An quia Beuterus fuit Valentinus? At hic scriptor locum non designavit. Est quidem *Arbeca* in Catalaunia prope Ilerdam, duabus leucis distans a Bellopodio, sed HIERONYMUS PUJADES *Lib. III. cap.* 52. nega-

ga-

gavit Arbecam sitam esse ubi olim fuit *Urbicua*, cujus verus situs proculdubio ignoratur.

3. URCESA invenitur apud PTOLEMÆUM *Lib. II. cap.* 6. in Regione Celtiberorum. PETRUS DE ALCOCER in *Historia Toleti Lib. I. cap.* 50. *fol.* 45. *col.* 1. scripsit, *Ucles* vocatam fuisse *Urcesam*: sed nullam attulit opinionis suæ rationem. ABRAHAMUS ORTELIUS in *Synonymia Geographica* ait, Carolum Clusium nominare eam *Velez*. Forte ita scriptum est pro *Ucles*. ANTONIUS COVARRUBIAS in *Thesauro linguæ Castellanæ* errorem hunc descripsit v. *Velez*. URCESÆ situm aliis inquirendum relinquo.

4. URCI. Hujus urbis meminit PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. & MARCIANUS HERACLEOTA vocarunt eam URCE. Vocatur etiam URGI, unde *finis Urgitanus* apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 1. POMPONIUS MELA nominavit VIRGI, & *sinum Virgitanum Lib. II. cap* 6. itaque nomina sunt diversa; urbs vero una & situs etiam: de quo priusquam tractemus perpendenda sunt quæ de hac urbe scripsit JOHANNES MARIANA *Lib. I. de rebus Hispaniæ*, *cap.* 2. *Succedit* (inquit) *Almeria, quæ ex Abderæ ruinis crevisse creditur: aliis Urci est in Bastetanis: & Lib. X. cap.* 18. loquens de Almeria sic dubitanter scripsit ad annum 1146. *Almeria firmissima ea tempestate urbs ad mediterranei maris littus sita*

ta in Bastetanorum , & Bastulorum confinibus , antiquis Abdera , seu Portus Magnus , nostrorum armis potita est. JOHANNES igitur MARIANA non fuit ausus asserere , an Almeria condita fuerit ex Abderæ ruinis , an vero sit eadem ac *Urci.* Probabimus has urbes distinctas fuisse utentes rationibus ab Historia Ecclesiastica petitis.

5. Geographus NUBIENSIS, qui circiter quinquagesimum annum duodecimi sæculi scribebat , multis in locis de *Abdera* & *Almeria* loquitur , tanquam diversis urbibus eâ ætate exsistentibus. *Almeriæ* situs notissimus est. Antiquitus fuit vocata *Almaria.* Unde emendari debent *Annales Pisani* ad annum 1088. in quibus ita scriptum est : *Fecerunt Pisani & Januenses stolum in Affricam* , (forte legendum Africanos) *& receperunt duas munitissimas civitates Almadiam* (lego Almariam) *& Sibiliam in die Sancti Sixti : In quo bello Ugo Vicecomes filius Ugonis Vicecomitis mortuus est. Ex quibus Civitatibus, Saracenis fere omnibus interfectis , maximam prædam auri & argenti , palliorum & ornamentorum abstraxerunt. De qua præda thesauros Pisanæ Ecclesiæ diversis ornamentis mirabiliter amplificaverunt , & Ecclesiam Beati Sixti in Curte ædificaverunt.* Prædictus Geographus Arabs Abderam nominavit *Aderam* , a qua dempta E mansit *Adra* , ut ex *Ceretania Cerdaña* ; ex *Cabeta Gata* ; PLINIUS *Lib. III. cap. 3.* posuit *Urci* in extré-

mo

mo Bæticæ in regione Bastitana, quæ confinis erat Hispaniæ Citerioris, sive Tarraconensis, & a STRABONE describitur *Lib. III. pag.* 96. & 108.

6. His igitur tribus urbibus distinctis, hæc eadem distinctio melius apparebit ob distinctam Episcoporum seriem, quam singulæ habuerunt. Verum Abderæ ob temporum injuriam contigit, ut ejus sedes omissa fuerit in omnibus Ecclesiasticis Divisionibus, quas ego legi: quod, ut mea fert opinio, ex eo provenit, quod cum aliquæ Divisiones confictæ fuerint; postea subsequentium scriptores descripserunt priores. Abderitana igitur Sedes prætermissa fuit in *Divisione Episcopatuum Hispaniæ*, falso tributa Imperatori Constantino, quæ legitur in *Collectione Conciliorum Hispaniæ*, quam edidit GARSIAS DE LOAISA, *pag.* 143. Prætermissa etiam fuit in altera *Episcopatuum Hispaniæ Divisione*, quæ falso adoptatur Regi Wambæ, & reperitur apud eundem LOAISAM, *pag.* 135. Neque dici potest, omissam fuisse ab aliquo descriptore, sed ab ipso Pelagio Episcopo Ovetensi, qui eas Divisiones commentus fuit tempore, quo Abdera jam non erat Episcopalis, & ipse ignorabat talem fuisse: & Wambanis Divisionem transcripsit LUCAS Tudensis Episcopus, & postea CHRONICON GENERALE, ubi refertur in ea designari novem Episcopatus subditos Hispalensi, & inter novem non invenitur *Ab-*

de-

dera. Eadem omissio observatur in *Divisione Episcopatuum*, quæ legitur in *Chronico Æmilianensi* scripto anno 882. Item in alia Divisione conficta, quæ legitur in fabulosa *Historia*, quæ circumfertur nomine Mauri Rhasis; qui floruisse fingitur anno 936. item in Divisione quæ legitur apud LUCAM Tudensem *Lib.* III. *Chronici Mundi*, *pag.* 56. quæ Divisio eadem est ac Wambæ tributa; nam hic Præsul descripsit codicem appellatum *Itacium* Pelagii Episcopi Ovetensis, hujus fabulæ inventoris. Item in Divisione Codicis Hispalensis, qui est in Bibliotheca Regia B. Laurentii, eamque edidit LOAISA, *pag.* 131. & 132. Item in Divisione Ecclesiæ Ovetensis, quam evulgavit idem LOAISA, *pag.* 133. & in iis quas edidit nobilissimus vir FRANCISCUS DE ALMEIDA MASCAREÑAS in *tom.* IV. *Apparatus ad Disciplinam Ecclesiasticam Portugalensem*.

7. Hæc adeo antiqua, & frequens omissio Abderitanæ Sedis occasionem dedit ad confundendam eam cum Urcitana: ideoque multi scriptores censuerunt Abderitanam fuisse suffraganeam Toletanæ; cum certum fuerit, suffraganeam fuisse Hispalensis, ut statim apparebit. Idcirco cl. vir FRANCISCUS PADILLA in *Catalogo Episcoporum*, *fol.* 18. *pag.* 2. unam tantum seriem Episcoporum utriusque Sedis fecit, cum duas facere debuisset. Nolo controversiam illam excitare an B. Ctesiphon fuerit Episcopus Abderitanus,

si-

siquidem hoc dubium patitur propterea quod Breviarium Cordubense, quod ita affirmat, niti videtur auctoritate Calixti secundi, cujus libri meo judicio sunt apocryphi, ut taceam Martyrologium Romanum, & Bedæ, asserere fuisse Episcopum Vergi. Verumtamen certum est, Petrum Episcopum Abderitanum subscripsisse Concilium I. Hispalense celebratum Era DCCCXXVIII. Itaque Abderitana Sedes fuit suffraganea Metropoleos Hispalensis. Idemque præcedenti anno subscripserat Concilium Toletanum III. quod fuit Generale, ut asserit cl. vir FERDINANDUS DE MENDOZA *de Concilio Iliberritano confirmando*, *pag.* 8. ubi admonet in melioribus codicibus legi: *Petrus Abderitanus Episcopus*; non vero, ut in excussis legitur, *Petrus Eliberitanus Episcopus*: cum quilibet animadvertere possit, in eodem Concilio subscripsisse Stephanum Episcopum Iliberritanum. Neque dici potest, alterum Episcopum Iliberritanum fuisse Hispanum Catholicum; & alterum, Gothum Arrianum, ut observatur in Sedibus Valentina & Dertosana: nam neque Petrus, neque Stephanus sunt nomina Gothica.

8. Stabilita igitur *Abderitana* Sede, transeamus ad *Urcitanam*. Primus Episcopus *Urcitanus* fuit B. Indaletius, cujus Episcopatum confirmavit Breviarium Mixtarabum, Martyrologium Romanum, Sancti Bedæ, Usuardi, & Primi Annales Toletani, in

Era

Era MXXII. ubi notari debet in editione FRANCISCI DE BERGANZA, monachi Benedictini de Hispana Historia benemeriti, ita legi: *Mudaron el cuerpo de San Indalecij a la cibdad de los Moros, que avie nombre Urcitana.* Cum certum sit legi debere, prout legitur in codice m.s. JOH. BAPT. PEREZII, qui exstat in Bibliotheca Regia Madridiensi, ex quo exemplar horum Annalium ego descripsi; videlicet: *Mudaron el cuerpo de San Indalecis de la cibdad de los Moros, que avia nombre Urcitana.* Hoc est: *Translatum fuit corpus Sancti Indaletii ex Maurorum civitate, quæ nominabatur Urcitana.* In hujus Episcopatus confirmationem nolo allegare CALIXTI II. testimonium, quia scripta, quæ ejus nomen præferunt, jam dixi apocrypha esse: sed neque Acta translationis Sancti Indaletii, quæ anno MDCXLIX. excudi jussit eruditissimus vir JOSEPHUS PELLICER, *cap.* 14. *Historiæ Familiæ Alagonensis*, quæ Historia typis efformari coepit, non tamen absoluta fuit: & tamen postea ille memorata Acta communicavit cum JOHANNE TAMAYO DE SALAZAR, qui ea evulgavit in *Martyrologio Hispano mense Aprili*, anno MDLV. uti refert ipse PELLICERIUS in *Bibliotheca sua fol.* 41. nam etiam hæc Acta sunt apocrypha.

9. Secundus Episcopus Urcitanus fuit *Catonius*, qui subscripsit Concilium Iliberritanum. Scio FERDINANDUM MENDOZAM, *pag.*

68. doctissimi *Commentarii de Concilio Iliberritano confirmando*, adnotasse in codice Lucensi legi, *Cantonus Episcopus Corsutanus*, & in aliis *Corsicanus*: & in Parisiensi Merlini animadverti legi, *Catonius Episcopus Corsitanus*, *fol.* 105. *col.* 3. sed hæ lectiones adeo monstrosæ sunt, ut ob alias similes VASÆUS scripserit in *Chronicis Hispaniæ* ad annum Christi CCCXXXVIII. *Quo loco quæcumque ponuntur, ut ingenue fatear, ægroti veteris somnia pleraque omnia mihi videntur. Multos enim Episcopatus ibi lego, quorum in antiquis Conciliis nulla fit mentio.* AMBROSIUS MORALES, *Lib. x. cap.* 31. *fol.* 390. referens Episcopos, qui subscripserunt laudatum Concilium, ita scripsit: *Cantonius Episcopus Urcitanus, aut Vergitanus, ut habet autographum antiquum S. Æmiliani.* Lectionem illam *Urcitanus* approbavit GARSIAS LOAISA: licet enim in contextu descripserit, *Cantonius Episcopus Corsicanus*; in margine tamen emendavit, *Urcitanus*. FERDINANDUS DE MENDOZA videns Januarium Urci Presbyterum fuisse unum ex subscriptoribus Concilii Iliberritani, conjecit *pag.* 89. Januarium fuisse comitem Cantonii: atque ita confirmatur lectio illa, *Cantonius Urcitanus*.

10. Tertius Episcopus Urcitanus fuit *Marcellus*, qui subscripsit Concilium Toletanum IV. celebratum Era DCLXXI. & Toletanum V. habitum Era DCLXXIV. & postea

stea

stea Daniel ejus Diaconus subscripsit Concilium Toletanum VIII. quod fuit Provinciale celebratum Era DCXCI. & Concilium Toletanum IX. quod etiam fuit Provinciale, habitum Era DCXCIII.

11. Quartus Episcopus Urcitanus fuit *Palmarius*, qui subscripsit Concilium Toletanum XI. quod fuit Provinciale, & initio adhuc dicitur esse Carthaginis Provinciæ Sacerdotem, celebratumque fuit Era DCCXIII. Idem subscripsit Concilium Toletanum XII. Era DCCXIX., Toletanum XIII. Era DCCXXI., & XIV. Era DCCXXII.

12. Quintus Episcopus Urcitanus fuit *Habitus*, qui subscripsit Concilium Toletanum XV. celebratum Era DCCXVI. & XVI. habitum DCCXXXI.

13. Sextus Episcopus Urcitanus fuit *Genesius*, qui interfuit Concilio Cordubensi Era DCCCC. sive anno Christi Natalis DCCCLXI. non ut ait FERRERAS DCCCLXII. neque DCCCLII. ut GUNDIZALVUS ARGOTE DE MOLINA *Lib. I. de Nobilitate Vandalusiæ cap.* 21. deceptus errore typographico, qui est in margine *Chronici* AMBROSII MORALIS *Lib. XIV. cap.* 31.

14. Quod attinet ad Sedem *Almeriæ*, (quod nomen Arabicum est) opinio fuit antiquorum scriptorum Hispaniæ, quibus eruditionis cognitio defuit, eam esse antiquum *Urci*, & propterea, cum Reges Catholici eam a Mauris recuperarunt, Sedem Episco-

palem in ea posuerunt anno 1480. ut refert ZURITA *Lib.* XX. *Annal. cap.* 81.

15. Hæc cum ita se habeant, unice restat inquirere situm URCI, quod nonnulli vocant *Virgi.* AMBROSIUS MORALES *Lib.* X. *cap.* 32. *fol.* 391. *litt.* c. ait *Urci* esse posse *Vera*, aut *Verja*. Dubitationis suæ rationem affert nullam. Sed certum est, esse *Veram*, quæ est intra Sinum Urcitanum, qui hodie dicitur *Golfo de Vera*: comprobat hoc POMPONIUS MELA, qui *Lib.* II. *cap.* 6. ita scripsit: *Virgi in sinu, quem Virgitanum vocant.* Sinuum vero nomina difficulter mutantur. *Verja* autem extra sinum est.

16. *URGAVO.* Sic legendum apud PLINIUM *Lib.* III. *cap.* 3. non *Virgo*, ut in editione Nicolai Maillardi; neque *Urgao*, ut in plerisque aliis editionibus; aut *Urcao*, ut male etiam apud Antoninum in itinere *a Corduba Castulonem*: & vera lectio quam attuli, comprobatur aliquibus Inscriptionibus, quas mox memorabo. *Urgavo* autem cognominata fuit *Alba*, & Municipium fuit, ideo dictum *Albense*.

17. Prima Inscriptio ad hoc Municipium pertinens est, quam vitiose edidit APIANUS *fol.* 24. & Gruterus ex Ursini, & Schotti schedis *pag.* 66. *num.* 3. quæque exstat Arjonæ, & sic legi debet.

LI-

LIBERO. PATRI
AVG. SACRVM
IN. HONOREM
PONTIFICATVS
L. CALPVRNIVS
L. F. GAL. SILVINVS
II. VIR. BIS. FLAMEN
SACR. PVB. MVNICIP. ALB. VR
PONTIFEX DOMVS
AVGVSTAE
D. S. P. D. D.

Sed ex hac Inscriptione verum Urgavonis nomen non colligitur, cum per compendium scriptum sit.

18. Altera Inscriptio est, quam verbis transpositis idem edidit Apianus ex eo Occo *pag.* 25. *num.* 7. & illaudato primo editore Onuphrius Panvinius *Commentario in Librum II. Fastor. ad annum U. C.* DCCLI. *pag.* 299. Ex Panvinio Smetius *fol.* 153. Itemque Occo *pag.* 38. *num.* 7. alio versuum ordine servato, quam in supra citato loco. Ex Panvinio, Apiano, & Morali Gruterus, *pag.* 334. *num.* 6. qui omnes scripserunt *Municipium Albense Urcaonense.* Sed caute admonuit Gruterus in margine, Moralem scripsisse *Urgavonense.* Quæ lectio præferenda est, cum Morales ita loquutus sit, ut videatur testimonium oculare de veritate dixisse afferens aliam Inscri-



ptionem de qua postea loquar, *in Antiquit. fol.* 74. *pag.* 2. & in *Chronico Lib.* IX. *cap.* 35. *fol.* 209. *pag.* 1. & 2. Itaque hæc Inscriptio a GRUTERO non fideliter repræsentata, ut admonuit NICOLAUS ANTONIUS in *Biblioth. Veteri Lib.* II. *cap.* 3. *num.* 99. Nihili itaque facio, BIVARIUM in *Commentariis ad Dextrum*, *pag.* 20. *Urgabonense* scripsisse, præsertim cum opus illud sit postumum.

19. Tertia Inscriptio est, quam debemus AMBROSIO MORALI in *Antiquit. fol.* 74. *pag.* 2. & in *Chronico*, *Lib.* IX. *cap.* 35. *fol.* 299. *pag.* 2. GUNDISALVO ARGOTE DE MOLINA *Lib.* I. *Nobilitatis Andaluziæ cap.* 12. *fol* 11. & OCCONI cautius quam alibi describenti eam, *pag.* 4. *num.* 11. ubi sincerius legitur, quam apud GRUTERUM, *pag.* 249. *num.* 3.: licet enim GRUTERUS belle descripserit *Urgavonense*, perperam edidit, *Albengense pro Albense*. JOHANNES HARDUINUS in *nota* 18. ad PLINII *cap.* 1. *Lib.* III. *Historiæ Naturalis* non manifestavit rationes ob quas fictam, & recentem existimavit hanc Inscriptionem. Itaque donec eas audiamus, cohibeamus assensum. Incertum est, quem ex his duobus proximis lapidibus laudavit HIERONYMUS ZURITA in *Antonini Itinerario*, ut probaret olim fuisse Municipium Albense Urgavonense. Videsis illum in *Itinere a Corduba Castulonem*, & in *Itinere a Castulone Malacam*.

20.

20. Michaël Villanovanus voluit, Urgavonem esse Rhodam, eumque sequutus est Abrahamus Ortelius v. *Alba*, & v. *Rhoda*. Itemque JOHANNES MARIANA *Lib. x. de Reb. Hispaniæ*, *cap.* I. Virgaonem eam appellans. Sed AMBROSIUS MORALES in *Antiquitatib. fol.* 74. *pag.* 2. peritius scripsit, ex *Urgavone* provenisse *Arjonam*, ubi Inscriptiones memoratæ inventæ fuerunt, loci memoriam conservantes. Præterea hoc ipsum facile probatur observatis Canonibus Etymologicis, quos primus ego in Hispanæ linguæ usum confeci in *Originibus linguæ Hispanæ*. Cum lingua Latina corrumpi cœpit, illius ætatis homines ex sexto casu tertiæ declinationis recentia nomina procudebant, & ea quidem indeclinabilia, qualia postea manserunt, ut passim videre est in *Itinerario Antonini*, & in *Anonymo Ravennate*. Sic ex *Barcinone* facta est *Barcinona*, & postea *Barcelona*; ex *Carthagine*, *Carthagena*; ex *Castulone*, *Castulona*, & postea *Cazlona*; ex *Consaburone*, *Consaburona*, ac tandem *Consuegra*; ex *Pompælone*, *Pompelona*, & contractius, *Pamplona*; ex *Tarracone*, *Tarracona*, & postea *Tarragona*; ex *Turiasone*, *Turiasona*, & hinc *Tarazona*; ex *Ursone*, *Ursona*, & postea *Ossuna*. Hoc itaque posito agamus de litterarum permutatione.

21. V. facile mutatur in A. Sic ex *Bætulone*, dicta est *Bætulona*, & postea *Badalona*: ex *Turiasone*, *Tarazona*.

22. G. & Jota in Hispana lingua, cum certas voces feriunt, figura differunt; non vero potestate: siquidem illa feriens secundam & tertiam vocalem, est gutturalis; & hæc etiam, cum ferit reliquas. Itaque ex *Astigi*, dicimus *Ecija*; ex *Giaen* nomine Arabico, *Jaen*; ex *Tago*, *Tajo*; ex *Tagonio*, *Tajuña*.


23. A. ex medio vocabuli auferri solet. Sic ex *Araduca* natum nomen *Arzua*; ex *Arsciaduna* nomine Arabico *Archidona*; ex *Bracara*, *Braga*; ex *Colonia Iliberi*, *Colibre*; ex *Colubraria*, *Moncolobrer*; ex *Concana*, *Cuenca de Campos*; ex *Dianio*, *Denia*; ex *Pisoraca*, *Pisuerga*; ex *Sancta Juliana*, *Santillana*; ex *Uxama*, *Osma*.

24. V. etiam auferri solet ex medio vocabuli: ideoque ex *Barbesula* dicitur *Marbella*; ex *Castulone*, *Cazlona*; ex *Mantua*, *Villamanta*; ex *Portu Veneris*, *Portvendres*.

25. His præmissis facile observari potest ex sexto casu, *Urgavone*, mutata, ut fieri solet, V. in A; G. in J; A. & V. omissis; & finali E. in A. frequentissimam terminationem conversa, natum fuisse *Arjona*, quo nomine hodie utimur.

26. *URGELLUM*, quod Martyrologium Romanum vocavit *Urgellam*, & Eginhartus, aliique *Orgellin*, fuit urbs sita in Pyrenæi montis jugo, Gothorum tempore adeo insignis, ut Sedes fuerit Episcopalis.

27. Primus, quem scimus Urgellitanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse, est Justus, cujus honorificam mentionem fecit B. ISIDORUS *cap.* 34 *de Viris Illustribus.* Beati Isidori verba descripsit HONORIUS AUGUSTODUNENSIS *Lib. III. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap.* 25. Recte igitur jam alii viderunt emendandum esse Anonymum Mellicensem, *cap.* 42. cum ait: *Justus Viennensium Archiepiscopus scribit ad Sergium Papam librum explanationum in Cantica Canticorum*: ubi pro *Viennensium* reponendum est *Urgellensium.* Epistola hujus Justi Episcopi *Orgellitani* (sic enim vocatur) *ad Syrgam Papam* (pro *Syrgam* legi debet *Sergium*, ad quem misit *Commentarium* suum in *Cantica Canticorum*) edita fuit a LUCA DACHERIO in *Spicilegio, tom. III. pag.* 319. unde ab AGUIRRIO, & CATALANO in suas *Conciliorum Hispaniæ Collectiones* translata fuit. Subscripsit Era DLXV. II. Concilium Toletanum hoc modo: *Justus in Chisti nomine Ecclesiæ Catholicæ Urgelitanæ Episcopus, hanc Constitutionum Consacerdotum meorum, in Toletana urbe habitam, cum post aliquantum temporis advenissem, salva auctoritate priscorum Canonum, relegi, probavi, & subscripsi.* Nimirum Justus forte eo tempore erat in Urbe Regia: & licet suffraganeus esset Episcopi Tarraconensis, invitatus fuit a Patribus Concilii Toletani ad subscriptionem, more eo tempore recepto; idem




idemque fecit in eodem Concilio frater ejus Nebridius , Egarensis Ecclesiæ Episcopus. Subscripsit etiam Justus Concilium Ilerdense Era DLXXXIV. omisso Sedis nomine. Martyrologium Romanum ejus nomen celebrat die XXVIII. Maii inquiens : *Urgellæ in Hispania Tarraconensi S. Justi Episcopi.*

28. Secundus Episcopus Urgellitanæ Ecclesiæ fuit *Simplicius*, qui subscripsit Concilium Toletanum III. celebratum Era DCXXVII., Cæsaraugustanum II. habitum Era DCXXX. Sedis suæ nomine tacito, & Barcinonense celebratum Era DCXXXVII. expresso nomine Urgellitanæ Ecclesiæ.

39. Tertius Urgellitanæ Ecclesiæ Episcopus fuit *Ranarius*, qui subscripsit Concilium Toletanum IV. celebratum Era DCLXXXI.

30. Quartus ejusdem Sedis Episcopus fuit *Maurellus*, qui Era DCXCI. subscripsit Concilium Toletanum VIII. nominans se *Urgilitanum Episcopum*, ut LOAISÆ ait exemplar, licet excussa habeant *Urgelensis.* Subscripsit etiam Concilium Toletanum IX. habitum Era DCXCIII. & X. celebratum Era DCXCIV. cujus Episcopi, aliorumque subscriptiones conservavit YEPESIUS in *Chron. S. Benedicti*, *tom. II. cent.* 2.



31. Quintus Episcopus fuit *Leubericus*, cujus Vicarius Era DCCXXI. subscripsit Concilium Toletanum XIII. hoc modo: *Floren-*

rentius agens vicem Leuberici Episcopi Urgelitanensis, prout edidit LOAISA: sed ad marginem secundum alios codices legitur, *Florentinus Presbyter Leuberici Urgellitani Episcopi.*

32. Idem Presbyter Florentius, sive Florentinus, subscripsit Concilium Toletanum XV. habitum Era DCCXXVI. hoc modo: *Florentius Presbyter, agens vicem domini mei, & Pontificis Leuberici Urgelletanensis Episcopi, subscripsi.* Ubi Albeldensis codex habet *Urgellitanæ.* Denique ipse Leubericus subscripsit Concilium Toletanum XVI. celebratum Era DCCXXXI. Atque hæc dicta sufficient de *Urgello*, & ejus Episcopis sub Gothorum tempore.

33. APIANUS *pag.* 23. edidit Inscriptiones, quas fuisse ait inter Borgias Urgelli & Umatiam juxta viam. Eandem evulgavit GRUTERUS *pag.* 245. *num.* 8. ex STRADA, e cujus manibus quamplurimæ Inscriptiones falsæ prodiere. Eandem ex APIANO descripsit HIERONYMUS PUJADES in *Chronico universali Cathalauniæ*, *Lib. IV. cap.* 26. & tacitis editoribus cl. vir NARCISUS FELIU in *Annalibus Cathaloniæ*, *Lib. VI. cap.* 7. : sed cum *Germania* ibi vocetur *inferior*, & recens sit Germaniæ divisio in Superiorem, & Inferiorem, manifeste Inscriptio illa ficta est.

34. *URGIA* quoque in nostrum censum referenda est, de qua PLINIUS *Lib. III. cap.* I. Gaditani Conventus oppida Civium Ro-

Romanorum recensens, ait *Urgia cognominata Castrum Julium.* In editione Pliniana Nicolai Maillardi Rhotomagensis dicitur *Urigia.* Apud ANTONINUM in *Itinere a Gadibus Cordubam* nominatur *Urgia*, quam PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 4. collocavit in Turdetania inter Nebrissam & Astam, & Rudericus Carus ait esse *las Cabezas de San Juan Lib. III. Chorographiæ Conventus Juridici Hispalensis, cap.* 11. *fol.* 100. & *cap.* 31. *fol.* 173. quibus in locis Inscriptionem edidit, quam melius descripsisse videtur MURATORIUS *tomo I. Novi Thesauri veter. Inscript. pag.* 53. *num.* 3. licet eam Hispali adjudicare non debuerat. Cum autem Turdetania ubi sita erat *Urgia*, habitatio esset Phoenicum, ut docuit STRABO *Lib. III. pag.* 103. verisimiliter ad eos ejus origo referri potest.

35. Addit PLINIUS *Urgiam* cognominatam *Castrum Julium*, videlicet a C. Julio Cæsare, qui Castra ibi posuit: a quo præcipue, & etiam ab Augusto, aliisque Gentis Juliæ successoribus, plurima oppida cognominata fuerunt in omnibus Hispaniæ Provinciis, ut multis exemplis ostenditur.

36. In Bætica videlicet hæc oppida, populique.

37. *Asido Cæsariana*, de qua PLINIUS *Lib. III. cap.* 1. nunc *Medina Sidonia. Medina* autem Arabice oppidum significat.

38. *Astigi*, quod *Julienses* ibidem.

39. *Artubi*, quæ *Claritas Julia*, ibid.

40. *Calpe*, *Colonia Julia*, in cimelio Reginæ Christinæ apud SPANHEMIUM in *Dissert.* IX. *de Præstantia*, & *usu Numismatum*, *pag.* 766.

41. *Contributa Julia*, PLINIUS *Lib.* III. *cap.* I.

42. *Gadis* insulæ cum PLINIUS mentionem fecit *Lib.* IV. *cap.* 22. ita scripsit: *Habet oppidum Civium Romanorum*, *quod appellatur Augusta Urbs Julia Gaditana.* Hoc cognomen proculdubio debetur Augusto Cæsari filio adoptivo C. Julii Cæsaris: & ad eandem Urbem pertinere voluit Johannes Harduinus nummos veteres Augusti, & Domitiani, quos ipse ait se vidisse, asserens in eis legi COL. IVL. AVGVSTA quod, quam fidem mereatur, eruditi judicabunt. Equidem in Inscriptione apud GRUTERUM *pag.* 357. *num.* 2. quæ emendari debet ex altera *pag.* 358. *num.* 4. non *Colonia*, sed *Mun. Aug. Gad.* dicitur.

43. *Itucci*, *Virtus Julia* dicitur a PLINIO *Lib.* III. *cap.* I.

44. *Julia Traducta* in numismatis occurrit.

45. *Iliturgi*, *Forum Julium* apud PLINIUM *Lib.* III. *cap.* I. quo pertinet Inscriptio emendatione indigens in *Muratoriano Thesauro*, *pag.* 1050. *num.* 9. *Forum autem Julium* dictum, quia Forum, sive Conventum ibi egit C. Cæsar: quod indicere

Fo-

Forum dicitur VIRGILIO teste *Lib. v. Æneidos* ℣. 758.

Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.

46. *Laconimurgi, Constantia Julia*, PLINIUS *Lib. III. cap.* 1.

47. *Hispalim*, ut ait B. ISIDORUS *Etymol. Lib. XV. cap.* 1. *Cæsar Julius condidit quam ex suo nomine, & Romæ Urbis vocabulo, Juliam Romulam nuncupavit.* Utrumque falsum est. Hoc tamen testimonium præ oculis habitum in Inscriptione apud GRUTERUM *pag.* 257. *num.* 12. ubi legitur *Romulæ* teste CARO *Lib. I. cap.* 9. *fol.* 13. *col.* 4. & *cap.* 20. *fol.* 37. *col.* 2.: falso scriptum fuit, *Juliæ Romulæ*: & ad hujus Inscriptionis Hispalensis imitationem, ficta fuit sequens Tarraconensis *pag.* 258. *num.* 1. quam ex MORALE, & STRADA se habuisse refert GRUTERUS. Sed MORALES solum edidit Inscriptionem Hispalensem *Lib. IX. cap.* 35. *fol* 298. falso legens *Romuleæ*. STRADÆ autem nulla fides debetur, nisi aliunde confirmata.

48. *Nebrissa*, cognomine *Veneria*, de qua PLINIUS *Lib. III. cap.* 1. fortasse quia Julia gens deducebat genus suum a Venere, ut ipse C. Cæsar gloriatus fuit in Juliæ amitæ suæ laudatione apud SUETONIUM, *cap.* 6.

49. *Nertobriga, Concordia Julia*, PLINIUS *Lib. III. cap.* 1.

50. *Osset, Julia Constantia*, PLINIUS ibid.

51.

51. *Cæsaris Salutariensis*. Hoc est alterum *Urgiæ* cognomen, ut probat conjunctio *item* apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 1.

52. *Segida*, *Restituta Julia*, PLINIUS ibid.

53. *Seria*, *Fama Julia*, ibidem.

54. *Sextifirmum*, cognomine *Julium*, ibid.

55. *Vergentum*, *Julii Genius*, ibid.

56. In Lusitania.

57. *Cæsarobrica*, cujus Cives dicebantur *Cæsarobricenses*, ut videre est apud PLINIUM *Lib. IV. cap.* 22.

58. *Castra Julia*, PLINIUS *Lib. IV. cap.* 22.

59. *Ebora*, *Liberalitas Julia*, teste PLINIO *laudato loco*. Unde colligitur vera lectio Inscriptionis apud GRUTERUM, *pag* 489. *num.* 9. Ea vero neque Municipium, neque Colonia fuit.

60. *Olisipo*, *Felicitas Julia*, Municipium Civium Romanorum, teste PLINIO, *Lib. IV. cap.* 22.

61. *Pax Julia*, quæ apud PLINIUM occurrit *Lib. II. cap.* 5. & STRABONI dicitur, *Pax Augusta*, *Lib. III. pag.* 104.

62. *Scalabis*, *Præsidium Julium*, PLINIUS *Lib. IV. cap.* 22.

63. In Hispania Tarraconensi.

64. *Acci*, *Julia Gemella*, PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. consulto etiam MORALE, *Lib. IX. cap.* 42. *fol* 313. & GRUTERO, *pag* 271.

num.

num. 6. ubi in antiqua Inscriptione exstat integrum nomen, *Colonia Julia Gemella Accitana*, quæ hodie est *Guadix*.

65. *Castulonenses*, *Cæsarienses* appellati apud PLINIUM *Lib. III. cap. 3.*

66. *Calagurris* cognominatur *Julia Nassica* in nummis.

67. *Ceretani*, alii *Juliani* cognominabantur, alii *Augustani*, teste PLINIO *Lib. III. cap. 3.*

68. *Hibera Julia* invenitur in eximio nummo apud LASTANOSAM in *Numismatis Hispanis incognitis*, *numismate* 39. Sed quoniam nummum hunc præstantissimum, optime conservatum habeo, operæ pretium me facturum puto, si eum hic declaravero.

69. In fronte habet navigium, & infra illud hanc inscriptionem MVN. HIBERA IVLIA; & in aversa parte, naviculam velatam cum tabella in mali extremo, in qua visitur oleæ ramus: ad proram est navicularius.

Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat.

Quo pacto memini me septennem per Hiberum amnem navigasse adversus ejus cursum. Supra navicularium est palma resignata. Atque hoc ipsum numisma puto esse 16. Dialogi VIII. Antonii Augustini ex Hispana lingua in Italicam conversi, licet male repræsentatum. Oleæ ramus proculdubio significat abundantiam olearum, quæ est

in

in Regione Ilergavonia. Ideo Geographus Nubiensis vocat *Provinciam Alzaitun* (hoc est, olearum) illam, quæ continebat Jaccam, Ilerdam, Mequinenzam, & Fragam, quarum urbium agri feracissimi sunt olearum. Oleum autem transportabatur per Hiberum flumen, & in navigia imponebatur, ut in alias regiones transferretur: & notum est Hispanum oleum pretiosissimum fuisse ad usum vitæ, ut docet B. ISIDORUS, *Etymol. Lib. XVII. cap.* 7. Ejus antea meminerunt PAUSANIAS in *Phocicis*, GALENUS *Lib. VI. de simpl. medicam.* & AURELIANUS *Lib. III. Morbor. Chronicor. cap.* 2. Duæ naves significant Hiberam fuisse urbem, navigationi deditam. Equidem LIVIUS *Lib. XXIII. cap.* 28. ait hanc urbem a propinquo flumine *Hiberam* appellatam, opulentissimam ea tempestate regionis ejus (A. videlicet Varroniano ab u. c. 538. Coss. C. Terentio Varronio, & L. Æmilio Paullo) itaque *Hibera* non est *Cantavieja*, ut conjectabat ANTONIUS AUGUSTINUS *Dial. VIII. pag.* 331.

70. Prima inscriptio nos docet Hiberam fuisse Municipium. Itaque a veritate absunt, qui eam confundunt cum Dertosa, ut Doctor MAHUDEL *pag.* 32. *Dissertationis Historicæ de nummis antiquis Hispaniæ.* Dertosa enim Colonia fuit Civium Romanorum, ut colligitur ex nummis antiquis apud VAILLANTIUM in *Augusti Colonis parte* I. *pag.* 33.

33. *& Tiberii*, *pag.* 74. & clarius ex Inscriptione, quam edidit THOMAS REINESIUS *classe* III. *num.* 40. cujus veram interpretationem nondum ego videram, cum scripsi *Epistolam* 23. *Lib.* III. ubi *pag.* 156. compendia illa ORD. D. C. D. interpretatus fui *Ordo Decurionum Civitatis Dertosæ*; cum loco *Civitatis*, *Coloniæ* legere debuissem. A me accepit hanc Inscriptionem doctissimus LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, eamque edidit *pag.* 2049. *num.* 8. quæ conjungenda est cum eadem repetita *pag.* 1043. *num.* 2. quam eruditissimus BIMARDUS ex libro meo habuit. Obiter admoneo aliam Inscriptionem, quæ legitur in *Commentariis* ZURITÆ ad *Itinerarium Antonini*, *p.* 548. & apud GRUTERUM diversimode scriptam *pag.* 402. *num.* 3. *&* *pag.* 478. *num.* 8. OCCONEM *pag.* 18. *num.* 1. HIERONYMUM PUJADES *Lib.* IV. *cap.* 24. *pag.* 165. NARCISSUM FELIU *Lib.* V. *Annal.* *cap.* 7. *pag.* 102. MURATORIUM *pag.* 1043. *num.* 1. mihi suspectam videri, & conferri debere cum ea quam ESCOLANUS edidit *Lib.* VI. *Annal.* *Regni Valentiæ*, *cap.* 11. *pag.* 88. quæ etiam mihi displicet. Prior illa prodiit ex STRADA, & SCHOTTI SCHEDIS, admonente GRUTERO in laudatis locis; posterior conficta videtur in assentationem *Pardorum*, ut subodorari possumus ex prædicto ESCOLANI loco.

71. Dertosam vero Coloniam fuisse Civium

vium Romanorum, optime confirmatur auctoritate PLINII, qui *Lib. III. cap. 3.* ita scripsit: *Tarracone disceptant populi XLIII. quorum celeberrimi Civium Romanorum Dertusani*; ubi legendum *Dertosani*, ut notavit HIERONYMUS ZURITA ubi supra. Et merito, nam *Dertosa* nominatur a POMPONIO MELA *Lib. II. cap.* 6. SUETONIO in *Galba*, *cap.* 29. & ANTONINO in *Itinerario.*

72. Scio GOLTZIUM in *Thesauro*, *pag.* 243. nummum edidisse, ubi legitur MVN. DERTOSA. Sed in his rebus eruditi sciunt non semper GOLTZIO adhibendam fidem, cum nummus ille aliunde non appareat. His adjungitur, Hiberam respectu Regni Valentiæ cis Hiberum fuisse, ut constat ex LIVIO *Lib. XXXIII. cap.* 28. Dertosa vero ultra illum sita est: &, ut ait STRABO *Lib. III. pag.* 110. *ad transitum Hiberi.*

73. Aliud fortius argumentum deduci poterat ex alio Hiberæ nummo, ubi *Hibera* videtur *Dertosa* nominata. Sed non ita est: & postea dicam, qua ratione hic nummus intelligi debeat. In illo vero, quem explicare coepimus, legitur *Hibera* cum aspirationis nota, sicut etiam in urnæ marmoreæ latere, quæ olim erat Romæ in ædibus Cardinalis Cæsii, ut memorat ANTONIUS AUGUSTINUS in *Dialogo III. Antiq. pag.* 91. & GRUTERUS *pag.* 690. *num.* 5. ubi hic versus legitur.

Illic unde Tagus, & nobile flumen Hiberus.

Et in Pandectis Florentinis videmus quendam, qui idem nomen habebat, cum aspirationis nota scriptum esse, *l. quidam Hiberus 13. de serv. præd. rustic.* adde eundem AUGUSTINUM *in fine Dial. VIII.*

74. Nominatum fuit hoc Municipium *Hibera Julia*, atque hoc probat depravatam lectionem Antonii Augustini, qui in fine *Dialogi VIII.* legit *Setia* pro *Julia*. Sed ipse admonuit sui nummi litteras evanidas esse. Denique in parte aversa distincte legitur *Ilergavonia*. Itaque non debet scribi duplicato L. ut SPANHEMIUS *Dissert. IX.* de *Præstantia Numismatum*, *pag.* 766. neque *Ilergaonia*, pro *Ilergavonia*, uti legerunt JOHANNES HARDUINUS, aliique sequentes errorem typographicum HIERONYMI ZURITÆ in *Itinerario Antonini*, *p.* 539.

75. Neque duæ fuerunt *Ilergavoniæ*, aut una Hibero amne divisa, uti existimatum est ob non intellectum alium nummum, de quo mox loquar, præmonens lectorem, ut, si forte scire velit ridiculam interpretationem nummi a me explicati, legat quæ scripsit ESCOLANUS *Lib. I. Hist. Regni Valentiæ*, *cap.* 21. *num.* 12. & *seqq.* & FRANCISCUM DIAGUM *Lib. I. Annal. Valentinor. cap.* 5.

76. Alium nummum habeo, in cujus antica parte visitur Tiberii caput laureatum cum hac inscriptione: TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. & in aversa parte navis

vis expanso velo, & infra carinam inscriptio, habens hos duos versus

DERT.
M. H. I. ILERGAVON.

Habuit hunc nummum Doctor FRANCISCUS ANDREAS DE UZTARROZ, eumque optime repræsentavit apud VINCENTIUM LASTANOSAM in *Discursu II. De numismatis Hispanis incognitis*, *pag.* 193. & 194. hac tantum differentia, quod in nummo ejus resignata erat palma supra carchesium, & in meo supra temonem ad veli latus. Palma fortasse adjecta fuit, vel ad significandam Palmarum abundantiam in ea regione, quæ maritima est; adeoque etiam ad eam referri potest PLINIUS *Lib. XIII. cap.* 4. vel ad conservandam memoriam alicujus recentis victoriæ. Occo male descripsit hunc nummum, *pag.* 92.

77. Notissimum est, esse aliquos nummos Hispanos, qui mentionem faciunt duarum Civitatum, ut ille apud LASTANOSAM *num.* 123. ubi nominatur *Bilbilis*, & *Italica*, & sequens, ubi legitur, *Silbis*, & *Turiaso*. Sic igitur in nostro nummo distingui debet Municipium Hibera Julia a Dertosa, quæ fuit Colonia Civium Romanorum. Sed has Civitates confuderunt reliqui scriptores, ut Doctor Laurentius Romeu, Franciscus Martorell, aliique, quia non observarunt an-

ante M. quod per compendium significat *Municipium*, legi *Dert.* hoc est, *Dertosa*; & non in fine incipientis, ut expresserunt Occo in *Imperator Romanor. numismatis*, *pag.* 86. aliique, ut hoc modo legeretur, *Municipium Hibera Julia Ilergavonia Dertosanorum*, cum certum sit *Dertosanum* esse nomen derivatum a *Dertosa*, significans indigenas, sive incolas, non vero proprium alicujus Regionis.

78. In hoc nummo legitur *Ilergavon*: sed integre legi debet *Ilergavonia*, ut in præcedenti.

79. Distinctus est alius Tiberii Cæsaris nummus, in cujus antica parte legitur: TI. CAESAR. C. I. A. D. hoc est, *Colonia Julia Augusta Dertona* (hoc est, *Tortona*) & in aversa parte AVG. C. I. A. D. quod eodem modo intelligi debet, qui nummus asservatur in Thesauro Nummario Christianissimi Regis. Et ad eandem Dertonam pertinet Inscriptio apud GRUTERUM, *pag.* 487. *num.* 6. ubi legitur: *Italica Julia Dertona.* Sed redeamus ad oppida a Julia Gente cognominata.

80. *Julia Celsa* in nummis obvia.

81. *Juliobrica* occurrit apud PLINIUM, *Lib.* III. *cap.* 3.

82. *Julia Lybica* apud PTOLEMÆUM *Lib.* II. *cap.* 6.

83. *Tarraco*, *Julia Victrix Tyrrhenica* in nummis legi debet.

84.

84. *Teari* dicti *Julienses*, uti memorat PLINIUS *Lib. III. cap.* 3.

85. *Valentia*, in nummis dicitur *Colonia Julia Valentia*, ut videre est apud HARDUINUM in *Nummis antiquis illustratis*, *pag.* 515. LUDOVICUM NONIUM in *Hispania cap.* 69. ESCOLANUM *Lib. I. Historiæ Regni Valentiæ*, *cap.* 18. *num.* 6. DIAGUM *Lib. III. Annal. Regni Val. cap.* 38. SPANHEMIUM *Dissert. IX. de præstantia numismatum*, *pag.* 766. VAILLANTIUM in *Coloniis part. I. pag.* 4. FABRETTUM in *Apologemate adversus Gronovium*, *pag.* 18.

86. Non est igitur mirandum *Urgiam*, cujus occasione hæc scripsimus, appellatam fuisse *Castrum Julium*, & *Cæsaris Salutariensem*.

87. VRI, & VRIA Vasconum lingua etiam hodie *oppidum* significat; & de hoc secundo vocabulo idem testatur GASPAR WASERUS in *Commentario ad Gesneri Mithridatem*, *fol.* 236. ad quam significationem fortasse referenda est *Uria* in Iapygia condita a Cretensibus, ut videre est apud STRABONEM *Lib. VI. pag.* 194. & apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 10. Eandem *Urion* appellat PTOLEMÆUS *Lib. III. cap.* 1.

88. *Urium* aliud habemus in Hispania quod PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 4. situm esse dixit in Turdetania, quod oppidum flumen habuit cognomen, quod FLORIANUS DO CAMPO *Lib. III. cap.* 7. censet esse

Rio Tinto, vocatum etiam *de Azeche*, o *del Azige*, & addit idem esse flumen ac antiquum *Hiberum*. Dicitur *Rio Tinto*, quia cum crescit, e atramenti fontibus aquas accipit, quibus tingitur. Atramentum autem dicitur Hispane *azeche*, ut vocat illud COVARRUBIAS in *Thesauro linguæ Castellanæ*, *verbo azeche*, & ESCOLANUS *Lib. I. Histor. Regni Val. cap. 3. num. 4.* aut *azige*, ut propius ad originem Arabicam accedens ANTONIUS NEBRISSENSIS in *Dictionario*, & ALDRETE *Lib. III. de Origine Linguæ Castellanæ*, *cap. 2. pag.* 779. tacite reprehendens ANTONIUM AUGUSTINUM, FLORIANI CAMPENSIS sententiam irridentem in fine *Dialogi VIII. Antiquit. Urium* dictum ab UR, quia urit herbas, & arborum radices, ut refert CARUS *Lib. III. Chorographiæ Conventus Hispalensis*, *cap.* 76. Hiberum autem esse censuit Campensis, quia ita sibi visum est deprehendere ex Aviensi contextu in *Ora Maritima* ℣. 248. mihi vero videtur Luxia (nunc *Odiel*) amnis ei proximus, ut alio loco dicam.

89. *URSO*, Hispaniæ fuit antiquissima Civitas, cujus mentio occurrit apud APIANUM in *Hibericis*: ubi Q. Fabius Maximus Æmilianus, qui Consul fuerat cum L. Hostilio Mancino, pro Consule venit in Hispaniam, Orsonamque accessisse dicitur: quæ *Urso* est, qua de agimus, & hodie dicitur *Ossuna*, ut observavit AMBROSIUS Mo-

MORALES *Lib. VII. cap.* 84. *fol.* 114. suffragium pro eo tacite ferente ANTONIO AUGUSTINO *Dialogo VIII. Antiquitatum* in Latinam linguam converso ab ANDREA SCHOTTO, *pag.* 114.

90. Altera *Ursonis* mentio occurrit apud HIRTIUM, aut OPPIUM, *Lib. VI. de Bello Hispaniensi*, *pag.* 509. editionis Gryphianæ qua utor, ubi per scripturæ errorem dicuntur *Bursavolenses*, ut optime observavit RUDERICUS CARUS *Lib. III. Chorographiæ Conventus Juridici Hispalensis*, *cap.* 53. *fol.* 113. *col.* 4. qui animadvertit etiam in eodem *Lib. VI. de Bello Hispaniensi*, *pag.* 513. pro *Saonem* legi debere *Ursonem*. His addendum est, ut depravatas lectiones persequamur, & emendemus, *pag.* 514. mentionem fieri *Versaonensium* civitatis, ubi duabus litteris demptis legi debet *Ursonensium*; & *pag.* 523. una tantum erasa pro *Ursaonem*, *Ursonem*, ubi hanc urbem descripsit HIRTIUS, cujus descriptioni illustrandæ addi debet CARUS *laudato capite*, & LUDOVICUS NONIUS *in Hispania*, *cap.* 15. Superiores emendationes luculenter confirmantur auctoritate STRABONIS, qui *Lib. III. pag.* 97. loquens de illo bello, & referens loca, ubi Gn. Pompeii liberi devicti fuerunt, ita scripsit: *Sunt & in quibus Pompeii liberi debellati sunt, Munda, Apetua, Urso, Tucis, Julia, Aegua.* Adde STRABONIS *Epitomen*, *pag.* 26.

91. Sed quid verbis opus est? Verum *Ursonis* nomen colligitur ex nummis antiquis. Primus qui ex illis veram protulit mentionem, fuit ANTONIUS AUGUSTINUS, *Dial. VIII. Antiquit. pag.* 114. quem postea sequuti sunt CARUS *Lib. III. cap.* 54. EMMANUEL MARTINUS *Epistolar. Lib. III. epist.* II. aliique. Neronis nummus e Thesauro Goltzii, *pag.* 239. adulterinus est. Ex *Ursone*, dicti cives *Ursonenses*, ut videre est apud GRUTERUM, *pag.* 259. *num.* 2. quæ Inscriptio eadem est ac illa quæ legitur in MURATORIANO *Thesauro, pag.* 1095. *num.* 6. ubi tres postremi versus adscititii sunt. Equidem illam Inscriptionem Hispanam fecit PADILLA in *Antiquitatibus Hispaniæ*, *fol.* 15. *pag.* 2.

92. PLINIUS *Lib. III. cap.* I. referens Colonias immunes Conventus Astigitani, ait: *Urso, quæ genua Urbanorum.* Ubi ANTONIUS AUGUSTINUS *laudato loco*, docuit legi debere, *Gemina*, quam emendationem sequuti sunt CARUS *prædicto capite*, HARDUINUS in *Notis*, & *Emendationibus ad Plinii Lib. III. sect.* 13. omnibus his præeunte AMBROSIO MORALE, *Lib. IX. cap.* 32. *fol.* 294. *litt. B.* Dicta fuit *Gemina*, quia ejus Coloni fuerunt milites emeriti ex iis Legionibus, quæ *Geminæ*, sive *Gemellæ* dicebantur, propterea quod ob militum paucitatem ex duabus una fiebat, teste C. CÆSARE *Lib. III. de Bello Civili*, *pag.* 323.

cui

cui adjungendus est DIO *Lib. LV. p.* 564. unde constat *Geminas*, sive *Gemellas* fuisse Legionem X. XIII. & XIV. Cum igitur C. Fabianus Evander fuerit Aquilifer Legionis XIII. apud MURATORIUM in *Thesauro novo veter. Inscriptionum*, *pag.* 1065. *num.* 7. pro *Ossoniensium* legi debet *Ursoniensium*, & illius uxor fuit J. Martia Singiliensis: nam sic intelligenda est nota illa *Sing.* apud eundem MURATORIUM *tom. II. pag.* 1108. *num.* 2. ut videre est apud GRUTERUM, *pag.* 395. *num.* 7. & *pag.* 426. *num.* 7. quarum prima conjungenda est cum altera apud MURATORIUM *tom. III. pag.* 1398. *num.* 1. & apud MORALEM *Lib. IX. cap.* 38. *fol.* 304. a quo GRUTERUS *pag.* 437. *num.* 4. emendandus *pag.* 1101. *n.* 6. Et, ut obiter hoc moneam, apud MURATORIUM *tom. I. pag.* 451. *num.* 1. ubi *Sigila* legitur, non intelligi debet amnis Singilis, hodie Genil, sed qui Xiguela nominatur prope Uclesium; ut taceam hanc, & sequentem Inscriptionem supposititias esse.

93. Superior PLINII emendatio confirmatur aliâ æque certâ. Civitas Legionensis nominata fuit *Legio Septima Gemina*, ut videre est in ANTONINI *Itinerario*, & aliquibus Inscriptionibus. Idcirco apud PTOLEMÆUM *Lib. II. cap.* 6. ubi legitur, *Germanica Legio Septima*, emendandum est, *Gemina*, ut observarunt VASÆUS ad *annum Domini* 106. *fol.* 63. *pag.* 2. MORALES

Lib.

Lib. IX. cap. 29. *fol.* 289. *litt. B.* ORTELIUS V. *Legio Septima Gemina*, ZURITA in *Commentario Itinerarii Antonini*, LOAISA in *Conciliorum Hispaniæ Collectione*, *pag.* 162. MARIANA *Lib. IV. cap.* 5. NONIUS in *Hispania cap. LVII.* THOMAS TAMAYO DE VARGAS in *Defensione Dextri*, *fol.* 67. GOMEZ BRAVO in *Animadversionibus ad Historiam Emeritæ*, *fol.* 23. Liquet igitur, Legionem nominatam fuisse, *Septimam Geminam.* Nimirum, ut ait HYGINUS, *multis Legionibus contigit bellum feliciter transigere, & ad laboriosam Agriculturæ requiem primo tyrocinii gradu pervenire: nam cum signis, & aquilis, & primis ordinibus, ac tribunis deducebantur.* Dicta etiam fuit *Urso Urbanorum*, quia fuit Civium Romanorum, ut colligitur ex PLINII *laudato loco* adjuncto LIVIO *Lib. XXXIX. cap.* 56. & DIONE *Lib. XLIII. pag.* 233. Eodem modo apud PLINIUM fuerunt *Castra Gemina Lib. III. cap.* I.

94. Posterioribus temporibus *Urso* dicta fuit *Orsuna*, unde hodiernum nomen *Ossuna.* Inde fuit Natalis Presbyter de *Orsuna*, qui subscripsit in Concilio Iliberritano apud LOAISAM in *Collectione Conciliorum Hispaniæ*, *pag.* 18. Idemque fuit, qui anno 314. Concilium Arelatense subscripsit hoc modo: *Civitate Ursolensium Natalis presbyter, Ceterius diac.* apud PETRUM COUSTANT in *Romanor. Pontific. Epistolis*, *pag.* 344.

344. ubi si emendatur *Ursonensium*, vera lectio restituetur.

95. In *Notitia Imperii Occidentalis*, *pag.* 32. mentio fit *Ursoniensium*, quos GUIDO PANCIROLUS, *pag.* 45. & CARUS *Lib.* III. *cap.* 54. dixerunt esse *Ursonenses*. Verum in exemplari, quod habeo ANTONII AUGUSTINI manu descriptum, legitur *Ursanienses* qui alii videntur. Sed si Ursonis mentio non occurrit in *Notitia Imperii Occidentalis*, invenitur apud PTOLEMÆUM *Urbonæ* nomine *Lib.* II. *cap.* 4. & apud ANONYMUM RAVENNATEM *Lib.* IV. *cap.* 45. ubi pro *Cirsone* legi debet *Ursone*. Mauris in Hispania imperantibus fuit Provinciæ metropolis, ut refert Geographus Nubiensis, *pag.* 152. & 165. Granatenses Mauri vocarunt eam *Oxuna* teste PETRO ALCALA in *Vocabulista*: convertebant enim S. in X. ut admonuit ANTONIUS NEBRISSENSIS in *Regulis Orthographiæ linguæ Castellanæ* a me editis, *pag.* 24. RESENDIUS in *Epistola ad Vasæum*, *pag.* 25. ALDRETE *Lib.* II. *Originis linguæ Castellanæ*, *cap.* 12. *pag.* 217. & in *Antiquitatibus Hispaniæ*, *Lib.* I. *cap.* 37. *pag.* 153. ESCOLANUS *Lib.* VIII. *Hist. Valentiæ*, *cap.* 10. *num.* 1. & CARUS *Lib.* III. *cap.* 29. sic ex *Carisa* dixerunt *Carixa*; ex *Nebrissa Lebrixa*; ex *Salone*, *Xalon*; ex *Saetabi*, *Xativa*; ex *Singili*, *Xenil*; ex *Sucrone*, *Xucar*.

CAP.

CAP. V.

De Oppidis Hispanis, quorum nomina desinunt in UR, *cui addi plerumque solet productio aliqua.*

1. TRanseamus nunc ad oppidorum nomina finita in UR, cui pro linguæ conditione adjungi solet productio aliqua. Sunt autem hæc.

2. *OSTUR* legi dicitur in nummo hoc modo OZTUR teste HENRICO FLOREZIO in *Hispania Sacra*, *tomo* X. *cap.* 2. *pag.* 80.

3. *SUBUR*, parvum oppidum collocavit POMPONIUS MELA *Lib.* II. *cap.* 6. inter Scalas Hannibalis, & Tarraconem: PLINIUS situm esse ait in regione Ilergetum *Lib.* III. *cap.* 3. Paullo postea ita scripsit MELA: *Inter Subur & Telobin amnes Tarraco urbs est in his oris maritimarum opulentissima. Subur* amnis est hodie, ut opinor, *Francolí*, & *Telobis*, *Gaya*. Male autem ISAACUS VOSSIUS ad MELAM *Subin* reposuit, cum FRANCISCUS NUÑEZ DE LA HIERBA ediderit *Subur*, eumque sequuti sunt PINTIANUS, BROCESIS, & SCHOTTUS. Nimirum quemmadmodum apud MELAM *Telobis* amnis cognomen habuit oppidum, ita etiam *Subur*; cujus oppidi mentionem fecit PTOLEMÆUS *Lib.* 2. *cap.* 6. flumen prætermittens. VOSSIUM proculdubio incitavit

PLI-

PLINII lectio apud quem *dicto cap.* legitur flumen *Subi.* Sed malo credere POMPONIO MELÆ; & ex eo PLINIUM emendare. Videtur autem *Subur* fuisse opus Poenorum, cum in Africa etiam fuerit flumen *Subur* testibus PLINIO *Lib. V. cap.* 1. & PTOLEMÆO *Lib. IV. cap.* 1. quod hodie dicitur *Subu*, ut ait JOH. BAP. GRAMAYE *Lib. IV. Africæ illustratæ, cap.* 1. *pag.* 96. Incolæ *Suburitani* dicti in Tarraconensi Inscriptione quæ legitur apud APIANUM, *pag.* 18: MORALEM *in Antiquit. fol.* 65. *pag.* 2. SMETIUM *fol.* 157. *num.* 6. OCCONEM *pag.* 31. *num.* 5. GRUTERUM *pag.* 414. *num.* 3. PUJADES in *Chronico Cathaloniæ*, *Lib. III. cap.* 3.: REINESIUS autem nulla probabili conjectura ad *Subur* pertinere asseruit *inscriptionem* 74. *classis VI.* cum *Subur* fuerit oppidum regionis Ilergetum ex supra laudato PLINII loco; non vero Colonia, ut ex non intellecta Inscriptione REINESIUS interpretatus est. Nec animadvertit vir oculatissimus quantum distarit Baëna in Bætica sita, ubi lapis legitur, a *Subure* prope Tarraconem. Idem REINESIUS *Suburitanos* frustra invenire tentavit apud GRUTERUM, *pag.* 113. *num.* 5.

4. *ANDURA*, quam olim exstitisse probat lapis incriptus Tucci repertus, in quo legitur gentile *Andurensis.* Vide MURATORIUM, *tomo II. Novi Thesauri veter. Inscript. pag.* 1024. *num.* 2.

5.

5. *BLABERURA*. De hac urbe sic STEPHANUS : *Indica, urbs Iberiæ prope Pyrenen, quam nonnulli Blaberuram appellant Gentile, Indicitæ.* Antiquius nomen existimo fuisse *Blaberuram*, sicut *Hedetæ*, *Liriam*, apud PTOLEMÆUM *Lib. II. cap.* 6. quemadmodum *Hedeta*, quæ dedit nomen *Hedetanis*, postea mansit obscurum oppidum ; ita etiam *Indica*, a qua dicti *Indicitæ*, ut deducit STEPHANUS, vel *Indigites*, ut PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. & PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. THOMAS PINEDUS existimavit Indicam esse, quæ PTOLEMÆO *dicto Lib. II. cap.* 6. dicitur *Deciana* ; sed PETRUS JOHANNES NUNNESIUS in *notis ad Dionysium Afrum Decianam* forte esse *Daciam*. De *Indicæ* vero, aut *Blaberuræ* situ nihil constat.

6. *CONSABURA*, hodie *Consuegra*, an huc pertineat, dubitari potest, sive ea ita nominata sit, ut arguit gentile *Consaburenses* apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 3. cui adde Inscriptionem apud GRUTERUM *pag.* 909. *num.* 14. & 972. *num.* 7. & aliam apud JOSEPHUM PELLICERIUM in *Lectionibus Solemnibus* ad Opera LUDOVICI GONGORÆ, *pag.* 156. sive *Consaburo*, ut colligitur ex gentili *Consaburonensis* apud GRUTERUM *pag.* 402. *num.* 5. atque hinc emendandum est Antonini Itinerarium in *itinere a Laminio Toletum* ubi in *Consabro* deese videtur quinta vocalis.

7.

7. *BITURIS*, obscurum oppidum a PTOLEMÆO *Lib. II. cap.* 6. in Vasconibus locum habet.

8. Ad *CALAGURRIM* quod attinet, quoniam duæ fuerunt hujus nominis urbes, quas ego distinxi anno 1746. in epistola quam misi Henrico Florezio, monacho Augustiniano, & doctori Theologo Complutensi, transferam nunc in linguam Latinam quod illic scripsi Hispana. PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. distinxit *Calagurritanos* qui *Nassici*, a *Calagurritanis*, qui *Fibularenses* cognominantur; ibique considerari debet utra lectio præferenda sit, an vulgaris, quæ sic se habet: *Ex Colonia Calagurritanos*; an vero, ut vult HARDUINUS, cui assentio, *Celsenses ex Colonia*: quod explicat EVERADUS OTTO *Lib. sing. de Ædilibus Coloniar. & Municipior. cap.* 1. *pag.* 33. GARSIAS LOAISA in *Collectione Concilior. Hispaniæ*, *pag.* 159. has duas Calagurres confudit. Altera sita erat prope Oscam, ut optime probavit AMBROSIUS MORALES in *Antiquitatibus fol.* 96. & ab Ilerda parum distabat, ut observavit HIERONYMUS ZURITA in *Commentario Itinerarii Antonini*, *pag.* 539. Utrumque probatur testimonio C. CÆSARIS *Lib. I. de Bello Civili*, *pag.* 275. editionis Gryphianæ. In *Itinerario Antonini Calagurra* nominatur, in *itinere de Italia in Hispanias*. Hæc Calagurris videtur esse, quæ hodie dicitur Loharre, distans ab Osca quatuor leucas.

9. Altera Calagurris sita erat in Vasconia: ideoque STRABO *Lib. III. pag.* 111. appellavit eam *Vasconum urbem*. PTOLEMÆUS etiam *Lib. II. cap.* 6. collocavit eam in Vasconia, nominans illam *Calagorinam*: ideoque MORALES in loco supra memorato emendavit, *Calagurris*, comprobante id ARNALDO OIHENARTO in *Notitia utriusque Vasconiæ Lib. II. cap.* 7.: quod si quis illam lectionem defendere voluerit, nitens Inscriptione quam edidit PRUDENTIUS SANDOVALIUS in *Catalogo Episcoporum Pompelonensium*, *fol.* 3. *col.* 2. & MAFFEJUS in *Critica Diplomatica*, *pag.* 24.; sciat ejusmodi Inscriptiones facile fingi ab hominibus imperitis, & nusquam comparere. De hac Calagurri loquutus est VALERIUS MAXIMUS *Lib. VI. cap.* 6. in *externis num.* 3. qui locus conferri debet cum iis quæ scripserunt STRABO supra laudatus de Sertorio agens, *Epitome Liviana Lib.* 92. JUVENALIS *sat. XV. versu* 93. *&* *seqq.* FLORUS *Lib. III. cap.* 22. OROSIUS *Lib. V. cap.* 23. JULIUS EXUPERANTIUS *de Bello Civili*, *cap.* 8. AUXONIUS *epist. XV. ad Paullinum a versu* 51. Et hæc Auxonii Epistola, ubi *Calagurris* supponitur sita in Vasconia, & describitur *hærens scopulis*, debet etiam conferri cum Sancti Paullini *carmine X. qui versu* 218. etiam illam constituit in Vasconia, vocans eam *montanam versu* 128. prope Bilbilim, & Ilerdam, *versu* 223. 224.

&

& 231. quod fortasse dedit occasionem ad confundendam cum *Fibularia*. His adjungi posset quod ZURITA admonuit in *Cantabria*, *pag*. 12. : mihi vero solum propositum est loca indicare & distinguere , non describere.

10. Si quis scire cupit ad quam Calagurrim pertineant nummi veteres quos passim videmus ; indicabo breviter quid sentiam. PLINIUS *Lib. III. cap. 3.* refert eos qui Cæsaraugustanum Conventum adibant, erantque Cives Romani , Latinienses, Foederati , & Stipendiarii. Ex Civibus Romanis cudendæ monetæ jus habuerunt , & exercuerunt , ut discimus ex vetustis nummis , Calagurritani , qui Nassici cognominantur , quorum oppidum in numismatis vocatur *Municipium Calagurris Julia Nassica*. Municipium factum fuit beneficio , ut existimare possumus, Prætoris P. Cornelii , Cn. Filii, Scipionis Nassicæ a quo nomen accepit A. Varroniano U. C. DLXI. Coss. L. Cornelio Metula & Q. Minucio Thermo. Vide LIVIUM *initio Lib. XLV.* & DIODORUM *in Excerptis Valesii pag.* 380. Dicta vero Calagurris Julia a C. Cæsare , propterea quod ad suas partes transmigrarunt , ut legimus in *I. de Bello Civili*. Ex Civibus Romanis etiam monetam cudebant Ilerdenses , Oscenses regionis Vescitaniæ , Turiasonenses : ex Latinis veteribus , Cascantenses , Ergavicenses , Graccurritani , Osicerdenses : ex

Foederatis, soli Tarragenses apud PLINIUM numerantur, quorum nullum vidi nummum. Ex Stipendariis, cum magna eorum multitudo fuerit in Hispania, pauci videntur jus cudendæ monetæ impetrasse, ut Calletani, & Segobrigenses. Cum igitur Calagurritani qui *Fibularenses* cognominabantur, Stipendiarii fuerint; omnia numismata, quæ huc usque reperta, & edita sunt, ad Municipium Juliam Nassicam referri debent: non vero ad aliam Calagurrim, quorum oppidani cum Oscensibus erant contributi; ut memoriæ prodidit C. Cæsar: ideoque Calagurris illa *Fibularensis* fuit. Hæc illustrior, & celebrior, censenda est *Julia Nassica*, Patria M. Fabii Quinctiliani, qui primus Romæ publicam Scholam, & salarium e Fisco accepit, uti memorat Eusebius Cæsariensis Olympiade CCXVI. & AUSONIUS in *Commemoratione Professorum Burdigalensium, in Tiberio Victore*: fuit etiam locus habitationis, non vero patria Vigilantii, quem ideo B. Hieronymus *cauponem Calagurritanum, & mutum Quinctilianum* vocavit adversus eum scribens: patria gloriosissima Sanctorum Martyrum Emetherii, & Chelidonii secundum Prudentium in eorum *Hymno*, ubi eos apellavit *Vascones*: ejusdem Prudentii patria, & Sedes Episcopalis, quam ocupabat Valerianus, cum Prudentius pangeret Hymnum B. Hypolyti martyris, ut videre est in versibus quos collegit NICO-

LAUS

LAUS ANTONIUS *Biblioth. vet. Lib. II. cap.* 10. *num.* 225. Et illa Sedes permansit Imperii Gothici tempore ; & idcirco Berceus, Poëta antiquissimus Hispanus , Calagurrim vocavit , *Siella de Bisbalia* (Sedem Episcopalem) *pag.* 243. Obiter indicabo , Augustum usque ad devictum Antonium Calagurritanos inter armigeros circa se habuisse , ut narrat SUETONIUS in *Augusto*, *cap.* 49. unde explicari debet Inscriptio apud SMETIUM, *fol.* 167. *n.* 14. & GRUTERUM, *pag.* 533. *num.* 1. cujus notam illam *Calag.* non intellexit Josephus Scaliger , ut videre est in ejus laboriosissimo Indice *Thesauri Gruteriani.*

11. Altera Inscriptio apud PETRUM APIANUM *pag. v.* & NARCISUM FELIU *Lib. v. Annal. Catalauniæ* , *cap.* 7. *fol.* 85. quæ Barcinone fuisse dicitur , & tertia apud MORALEM *Lib. VIII. cap.* 20. OCCONEM *pag.* 5. *num.* 10. NONIUM in *Hispania cap.* 81. OIHENARTUM in *Notitia utriusque Vasconiæ* , *pag.* 141. confictæ sunt : & has duas postremas jam retulit GRUTERUS in *spuria* & supposititia *pag.* 3. *num.* 1. & *pag.* 11. *num.* 9. Atque hæc sunt quæ præter alia ad Florezium scripsi.

12. Sed nunc nonnulla addere operæpretium erit. Ad Calagurrim Juliam Nassicam referendus est Julii Exuperantii locus, qui in fine opusculi de *Bello Civili* , ita scripsit. *Postea Pompejus Perpennam subegit.*

Auxum , Clunium , Calagurrim , civitates delevit , & factis in Pyrenæo tropæis Romam regressus est , quem locum obiter emendabo. FLORUS *Lib. III. cap.* 22. de eodem argumento verba faciens, oppidum quod Exuperantius vocat *Auxum*, appellavit *Auxuma* in impressione typographica, quæ mihi videtur omnium antiquissima, absque editionis loco; sed in vulgatis legitur *Auxima* hoc modo. *Tum illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia conversis, misera inter Romanos Duces Hispania discordiæ pœnas dabat: donec opresso domestica fraude Sertorio, victo deditoque Perperna, ipsæ quoque in Romanam fidem venere urbes, Osca, Termes, Valentia, Auxima, & in fame nihil non experta Calagurris.* Pro *Auxima* legitur *Uximia* apud OROSIUM *Lib. v. cap.* 21. editionis Parisiensis Johannis Petit anni 1510. sic enim habet. *Civitatibus vero cunctis ultro ac sine mora per deditionem receptis, duæ tantum restiterunt; hoc est, Uximia, & Calagurum, quarum Uximiam Pompejus evertit: Calagurum Afranius jugi obsidione confectam, atque infames escas miseranda inopia coactam cæde, incendioque delevit.* Editio Francisci Fabricii habet *Uxama*, uti legitur in Inscriptione quam eleganter descripsit DIDACUS DE COLMENARES in *Historia Segobiæ cap. 3. num.* 8. Ad hoc nomen propius accedit hodiernum *Osma*, cujus Episcopus fuit quidam

Ca-

Caspar, cui Michael Apostolius dedicavit suas *Proverbiorum Centurias*. Vera lectio videtur *Uxama*, aut *Uxsama*; nam utroque modo se legisse asseverant eandem Inscriptionem oculati testes, quorum alter est AMBROSIUS MORALES in *Antiquit. fol.* 12. *litt.* D. quem non satis fideliter descripserunt, vel potius emendarunt Occo *fol.* 17. *num.* 11. & GRUTER. *pag.* 693. *num.* 8. alter PETRUS PANTINUS Tiletanus in *Præfatione Parœmiarum* Michaelis Apostolii, cum ille *Uxsamensis* scripsit, & hic omisso S. quod mihi magis placet.

13. *Ciunium* apud EXUPERANTIUM est *Clunia*. De qua DIO CASSIUS *Lib.* 39. *pag.* 115. Et hæc videtur esse, quæ in Flori antiquissimo exemplari excusso dicitur *Tudia*, & in aliis *Tutia*.

14. Ad *Calagurrim* autem pertinent testimonia supra memorata.

15. Ne vero inhonoratam relinquamus *Calagurrim Fibulariam*, hæc etiam videtur Episcopalis Sedes fuisse, nam in Concilio Iliberritano subscripsit, prout legitur apud MERLINUM, *fol.* 106. *col.* 3. *Januarius Episcopus de Siblaria*: & licet JOHANNES VASÆUS in *Catalogo Episcoporum Hispaniæ tempore Romanorum, & Gothorum, cap.* 20. admonuerit, in margine legi alias, *Salariensis*, & hanc lectionem prætulit MORALES *Lib. x. cap.* 31. *fol.* 390. eumque sequuti fuerint GARSIAS LOAISA, & FER-

DINANDUS DE MENDOZA, *pag.* 85.; tamen cum VASÆUS, & MENDOZA legerint, *Sibariensis*, & nulla in Hispania *Sibaris* fuerit, facilisque sit mutatio S. in F. cumque MENDOZA confessus fuerit in codicibus Toletanis legi, *Fiblaria*, & *Fibularia*; in Hispalensi, *Pliblaria*; in Lucensi, *Fibaria*; & LOAISA, *Fibularia*; postremam hanc lectionem præfero. Nec novum est, Episcopos ex aliquo oppido cognominari: quod plurimis exemplis confirmari potest.

16. *ESURIS.* Hujus urbis memoria conservatur in Antonini *Itinerario*, *in Itinere ab Esuri per compendium Pace Julia.* Resendius in epistola ad Vasæum, voluit *Esurim* postea dictam fuisse *Exeriz*, deinde *Xeriz*, quæ nunc *Xeréz*, & *Pacem Juliam* esse *Bejam.* Hoc si verum esset, iter per Myrtilim tantopere distantem, non esset per compendium, sed dispendium. Quidquid sit de *Esuris* situ; an dicemus *Esurin* esse Esi urbem? hoc est, Martis, qui unus fuit ex Diis a Gallis cultus, de quo LUCANUS *Lib.* 1. *Belli Civ.* ℣. 444.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Esus,

& LACTANTIUS *Lib.* 1. *cap.* 21. *Galli Esum, atque Teutatem humano cruore placabant.* Quod si Galli vicini Esum colebant, quid mirum eundem coluisse Hispanos Gallis confines?

17. *GRACCURRIS* supra a nobis comme-

memorata est.

18. *ILARCURIS* occurrit apud PTOLEMÆUM in Carpetanis *Lib. II. cap.* 6.

19. *LACCURIS* Civitas fuit Oretanorum, cujus meminit idem PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. Videtur eadem ac *Larcuris*, cujus memoria debetur HIERONYMO ZURITÆ, qui cum MALAGONE in Oretanorum regione sita vetustam Inscriptionem legisset, quæ memorabat P. Cornelium Larcuritanum; ignorati antea oppidi memoriam renovavit; existimavitque esse *Alarcós*. Vide ZURITAM in *Commentario ad Itinerarium* Antonini in *itinere per Lusitaniam ab Emerita Cæsaraugusta* v. *Carcubium*. Hinc PSEUDO JULIANUS PETRI *Advers.* 149. *Alarcurin* suis fabulis accomodavit.

20. *ITURISA* in Cantabria sita fuit secundum MELAM *Lib. II. cap.* I. *in fine*. Idque confirmat PTOLEMÆUS, qui eam in Vasconibus posuit, *Lib. II. cap.* 6. Occurrit etiam in *Itinerario* ANTONINI in *itinere ab Asturica Burdigalam*: sed ibi pro *Turissa* legi debet *Iturisa*; & ejus incolæ in vetustis PLINII exemplaribus, quos legit ZURITA, dicuntur *Ituricenses* exigente ita litterarum ordine, etiamsi nunc legitur *Leusenses*. *Iturisa* autem, ut vult ANDREAS POZA, *fol.* 3. *pag.* 2. *de antiquo idiomate Hispaniarum*, significat locum multarum fontium. Scilicet hic scriptor respiciebat vocem *Ura*, quæ apud Vascones significat a-

quam

quam. Veruntamen hujus oppidi situs confirmat significationem qua de agimus; nam ut ait ARNALDUS OIHENARTUS in *Notitia utriusque Vasconiæ, Lib. I. cap.* 13. *pag.* 56. quod Navarri, & Vascones Aquitani IRI, id cæteri Vascones, qui Varduliam incolunt, VRI dicunt.

21. *NEMENTURISSA* etiam huc referri debet, cum inter Vascones eam posuerit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6.

22. Equidem cum IRI & VRI eandem, uti dictum est, significationem habeant; huc etiam pertinet *Asturica*, quam *urbem magnificam* appellavit PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. cujus gentile est *Asturicensis*, ut videre est in Inscriptione apud LUDOVICUM PONTIUM DE ICART in *rebus magnis memorabilibus urbis Tarraconis fol.* 11. & 12. & apud GRUTERUM *pag.* 325. *num.* 8. Fortasse autem dicta fuit olim *Astura*, unde *Astures* populi apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 3.

23. His addi potest, desinentia in VRIA videri sæpe significare populorum incolatum, & frequentiam, ut plane significat *Asturia*, cujus meminit PLINIUS *Lib. III. cap.* 20. & 22. & *Lib. XXXIII. cap.* 3. idque clarius cernitur in *Bæturia*, de qua idem PLINIUS ait *Lib. III. cap.* 1. *Regio a Bæti ad fluvium Anam in duas divisa partes, totidemque gentes: Celticos, qui Lusitaniam attingunt, Hispalensis Conventus: Turdulos, qui Lusitaniam, & Tarraconensem accolunt,*

ju-

jura Cordubam petunt. Celticos a Celtiberis ex Lusitania advenisse manifestum est, sacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica distinguntur. Priusquam autem Bætis sic nominaretur, vocatus fuit *Carpias*, deinde *Tartessus*, postea *Perce*, ut docent PAUSANIAS *Lib. VI. Eliacor.* STRABO *Lib. III. pag.* 202. STEPHANUS in *Bætis*, AVIENUS in *Ora v.* 284. & ISIDORUS *Lib. III. Ætymol. cap.* 21, quanquam pro *Perce* depravate legitur *Circe*, *Certis*, aut *Cirtium* apud LIVIUM *Lib. XXVIII. cap.* 22. itaque *Baturiæ* nomen recentius est memoratis, cum a *Bæti* veniat. Sed pergamus ad alia.

CAP. VI.

De voce VRIA *mutata in* BRIA, *& Oppidis Hispanis hoc vocabulum habentibus.*

I. ADamantius Martyr librum scripsit de V. & B. litteris, propter facilitatem scilicet commutationis harum litterarum: quæ commutatio Hispanis semper fuit in usu. Exemplis non utar, cum frequentissime occurrant. Vide JOH. PASSERATIUM de *litterarum inter se cognatione*, *pag.* 156. HIERONYMUS ZURITA in *Commentario Itinerarii* ANTONINI *pag.* 599. vocavit hunc *familiarem* errorem. Itaque, cum

V.

V. facile mutetur in B.; ex VRIA venit BRIA eandem retinens significationem. Merito itaque STEPHANUS BYZANTINUS in *Brutobria* ita scripsit : *Brutobria , urbs inter Bætim amnem , & Tyritanos. Significat autem Bruti urbem : nam hoc notat vox Bria , quemadmodum Poltymbria , Selymbria ; unde gentile Brutobrianus , uti Selymbrianus , Poltymbrianus , Mesembrianus.* Similia scripsit in v. *Selymbria* hoc modo. *Selymbria urbs Thraciæ. Vocata vero fuit a Selie. BRIA enim secundum Thraces urbs , ut Poltymbria , Poltyis urbs. Civis Selymbrianus. Selymbria* , cujus meminit Scylax Caryandensis in *Tracia*, postea dicta fuit *Salembria* , ut videre est in *Itinerario Hierosolymitano pag.* 570. Audiamus etiam STEPHANUM in v. *Mesembria* sic ajentem : *Mesembria urbs Pontica , cujus meminit* NICOLAUS *Lib. V. sic dicta est a Melso quodam. BRIA enim urbem apud Thraces denotat. Quemadmodum igitur Selymbria urbs Selyis , Poltymbria , urbs Poltyis.* (Hujus Regis meminit PLUTARCHUS in *Apophtegmatis*) *ita quoque Melembria , Melsi urbs, quæ euphoniæ gratia Mesembria appellatur. Civis , Mesembrianus. Est quoque Thraciæ Mesembria ad Chersonesi finem , de qua Herodotus Lib. 7. Gentile idem est.* Mesembriæ in Thracia sitæ meminit SCYLAX Caryandensis in Thracia , & PLINIUS *Lib. IV. cap.* II. Supradicta didicit STEPHANUS a STRABONE , qui *Lib. 7. pag.* 221. ita scripsit : *Se-*

Sequitur Mesembria Megarensium Colonia, ante Menebria: id est, Mene urbs dicta; quod conditori ejus Mene esset nomen (in hoc STRABO, & STEPHANUS discordant) *BRIA autem vox, Thracum lingua urbem significat: sicut & Selys urbs Selybria appellatur, & Ænus aliquando Poltiobria dicta fuit.*

2. Explicemus autem quæ de *Brutobria* scripsit STEPHANUS. *Brutobria* (inquit) *urbs, inter Bætim amnem, & Turditanos. Turditania* (& alibi idem STEPHANUS) *regio Hiberiæ, quæ etiam Bætica vocatur, circa Bætim fluvium. Incolæ, Turditani, & Turduli. Artemidorus vero Turtynamiam eam vocat; & Turtos, incolas, & Turtutanos.* Artemidorus Ephesius, Geographus, floruit circa Olympiadem CLXIX. ut refert MARTIANUS HERACLEOTA ejusdem Epitomator, id est, circa annum u. c. DCL. Est ergo verisimile STEPHANUM de *Brutobria* agentem sequutum fuisse scriptorem, qui de rebus recentibus scripsit. Itaque apud eundem STEPHANUM pro *Turditanos* reponi potest levi mutatione *Turtytanos.*

3. Prosequitur STEPHANUS. *Significat autem Brutobria, Bruti urbem.* Sed cujusnam Bruti? Primus Juniæ Gentis, qui cum Imperio in Hispaniam venit, fuit P. Junius Brutus, Proprætore, cui Citerior Provincia decreta fuit A. Varroniano u. c. DLXV. Gn. Manlio Vulsone, M. Fulvio Nobiliore Coss.

ut

ut refert LIVIUS *Lib.* XLVII. *cap.* 57. Ejus res gestæ obscuræ sunt. *Verum ante tempus excisæ Numantiæ* (ut ait VELLEIUS PATERCULUS *Lib.* II. *cap.* 5.) *præclara in Hispania militia A.* (reponendum est D.) *Bruti fuit, qui penetratis omnibus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum, urbiumque potitus numero, aditis quæ vix audita erant, Callæci cognomen meruit.* Hunc egregiè celebravit CICERO in *Bruto*, *cap.* 28. & *Lib.* II. *de legibus*, *cap.* 21. cujus supplementum; & explicatio petenda sunt a PLUTARCHO in *Problematis Romanis*, *cur cum cæteri Romani Februario mortuis parentarent, Decimus Brutus*, *ut* CICERO *scribit*, *id Decembri faciebat.* Idem CICERO D. Brutum, & P. Scipionem ut magnos Consules laudavit *Lib.* III. *de Legibus*, *cap.* 9. Fuerunt autem Consules A. Varroniano u. c. DCXVI. De Bruto, cum Consul esset, sic ait LIVII Epitomator *Lib.* LV. *Junius Brutus Cos. in Hispania iis, qui sub Viriato militaverant, agros oppidumque dedit, quod Valentia vocatum est.* Oppidum illud (ut hoc obiter dicam) *Tyris* antea dicebatur, quod a Rufo Festo Avieno didici, qui cum ex Punicorum Annalibus in *Oram* suam *Maritimam* multa transtulerit, ut ipse ait ℣. 414. hanc memoriam nobis conservavit. Ejus contextum elucidemus.

4. Incipit a DIANIO, & ait ℣. 476. & sequentibus

He-

Hemeroscopium quoque
Habitata pridem hic Civitas, nunc jam solum
Vacuum Incolarum, languido stagno madet.

Hoc stagnum a STRABONE memoratum *Lib. III. pag.* 109. nostra ætate, & paucis quidem ab hinc annis terra repletum fuit ut incolarum valetudini inserviretur.

Attollit inde se Sitana Civitas,
Propinquo ab amni sic vocata Ibericis.

Pro *Sitana* lego *Sicana*; & *Sicana Civitas* videtur esse *Sicane* urbs Hiberiæ, memorata ab Hecatæo in Europa apud STEPHANUM, hodie *Cullera*, quam dicit Festus se attollere, quia ejus arx in eminenti loco sita erat, ut vestigia indicant, & ait Geographus Nubiensis *Climatis quarti Prima parte, pag.* 160. his verbis: *Castellum Colira mari modo ambitur, estque munitissimum ad ostium fluminis Socar appositum, circundatum a meridie monte quodam maximo, cujus e fastigio deprehenduntur intra mare aliquot montes aridi: vocatur autem mons ille Caun.* Consonat STRABO *Lib. III. pag.* 108. ubi sic scriptum est: *Ora hinc* (a Carthagine Nova) *usque ad Hiberum fluvium, medio fere spacio habet Sucronem fluvium, ejusque ostium, & urbem cognominem.* Adde FRANCISCUM DIAGUM *Lib. VII. Annal. Regni Valentiæ, cap.* 12. *&* 31. Ex quibus manifestum est *Sicanam Civitatem* non fuisse *Alzira*, ut voluit ISAACUS VOSIUS *Lib. II. cap.*

cap. 6. *pag.* 190. Nam neque *Alzira attollit se*; neque sita est ad Sucronis ostium. Primum illud optime convenit Sætabi, de qua sic magnifice cecinit SILIUS ITALICUS Punicor. *Lib. III.* ℣. 371.

Hos inter clara thoracis luce nitebat
Sedetana cohors, quam Sucro rigentibus undis;
Atque altrix celsà mittebat Sætabis arce,
Sætabis & telas Arabum sprevisse superbas,
Et Pelusiaco filum componere lino.

Sed secundum nullo modo ei adoptatur; & utrumque uni *Celleræ* convenit. Habuit autem amnem cognominem, a quo nomen suum accepit. Quod si verum est, hi sunt Sicani a quibus oriundi sunt Siciliæ populi dicti etiam Sicani, ut docuerunt THUCYDIDES *Lib. VI. cap.* 2. PHILISTUS apud DIODORUM SICULUM *Lib. V. cap.* 6. DIONYSIUS HALICARNASSEUS *Antiq. Romanar. Lib. I. pag.* 17. SERVIUS ad VIRGILII *Lib. I.* ℣. 561. & propterea Siculis Hispanam originem tribuunt EPHORUS apud STRABONEM *Lib. VI. pag.* 186. SCYMNUS CHIUS ℣. 264. & seqq. aliique.

5. *Neque longe ab hujus fluminis divortio*
Præstringit amnis Tyrius oppidum Tyrin.

Hoc oppidum est *Valentia*, a *Cullera* distans quinque leucas, antea dicta *Tyris*, sicut

cut & flumen eam præstringens, ubi notanda est præpositio *præ*, quæ optime Valentiæ situm declarat juxta flumen, ut admonuit SALLUSTIUS *Lib. II. Historiar.* apud PRISCIANUM *Lib. VI. col.* 680. ita scribens. *Inter læva mœnium, & dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo præterfluit.* Nimirum a *Tyri*, prima vocali adjecta dictus est amnis *Tyria*, sive *Turia*, quod idem est. Emendanda igitur Gn. Pompeii Epistola ad Senatum *Historiarum* SALLUSTII *Lib. III.* in qua sic ille scripsit: *Castra hostium apud Sucronem capta, & prælium apud flumen Durium* (legendum *Turium*, aut *Tyrium*) *& dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia, & exercitu deleti, satis clara vobis visa sunt.* Eodem modo emendandus est CICERO *pro Balbo, cap.* 2. ubi loquens de eodem bello ait, L. Cornelium Balbum *Carthaginem esse profectum: acerrimis illis præliis & maximis, Sucronensi, & Duriensi interfuisse: cum Pompejo ad extremum belli tempus fuisse.* Ubi pro *Duriensi* proculdubio legi debet *Turiensi.* Sed ut ad D. Brutum redeamus, ut ex Liviana *Epitome*, & Rufo Festo Avieno didicimus, oppidum *Tyris* beneficio illius, *Valentiæ* nomen accepit A. Varroniano u. c. DCXVI. Coss. P. Cornelio Scipione Nassica Serapione, & D. Junio Bruto, dicto Callaico.

6. Ejusdem Bruti res per biennium ge-

stas in Hispania memorant *Epitome Livii*, *Lib. LV.* & *LVI.* STRABO *Lib. III. pag.* 105. & 106. VALERIUS MAXIMUS *Lib. VI. cap.* 4. *in externis num.* 1. & *Lib. VIII. cap.* 14. *num.* 2. FLORUS *Lib. II. cap.* 17. EUTROPIUS *Lib. IV. cap.* 8. APPIANUS ALEXANDRINUS de *Bello Hispaniensi*, ubi male eum prænominavit *Sextum*, Eusebius Cæsariensis in *Chronico*, *Olympiade CLIX. anno* 4. parvo temporis errore, OROSIUS *Lib. V. cap.* 5. & SEXTUS RUFUS in *Breviario*. Proconsul autem de Lusitanis, & Callæcis ex Hispania ulteriore triumphavit A. Varroniano ab u. c. DCXVII. Atque huic Bruto nomen suum *Brutobria* debet.

7. *CALABRIA*, vel *Caliabria*, cujus urbis apud Scriptores antiquos nulla occurrit mentio, nobis est conservanda; quia sub Gothorum imperio, &, ut credi par est, etiam antea, Sedes fuit Episcopalis, Emeritæ suffraganea, etiamsi ejus situs nondum satis comprobatus sit. Hujus mentio antiquissima est, quæ invenitur inter subscriptiones Concili Toletani IV. quod celebratum fuit Era DCLXXI.: ibi ita legitur: *Servus Dei Calabriensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi*. Quod si hoc fuit nomen gentile; primigenium fuit *Calabria* GARSIAS autem LOAISA ibi in margine adnotavit in excussis exemplaribus legi, *Lacobrigens*. Sed major subscriptionum numerus nos docebit, quomodo legendum sit. Equidem AMBROSIUS MORALES

Lib.

Lib. XII. cap. 19. *fol.* 122. *pag.* 2. scripsit, in veteribus Toletanis Codicibus legi *Calabriensis.*

8. Secunda ejusdem Sedis mentio occurrit inter subscriptiones Concilii Toletani VI. habiti Era DCLXXVI. in hunc modum: *Ego Servus Dei, Ecclesiæ Calabriensis Episcopus subscripsi.* Ubi in margine admonuit LOAISA, in excussis exemplaribus legi *Archobricens.* quam lectionem videtur approbasse AMBROSIUS MORALES *Lib. XII. cap.* 23. *fol.* 131. *pag.* 1. ubi subscriptionem hanc ita Hispane transtulit: *Siervo de Dios de Arcos.* Nimirum Episcopi Ercavicenses sæpe dicuntur in vitiatis codicibus *Arcobricenses.* Sed idem MORALES aliud censuit loco prius laudato, ut taceam in eodem Concilio Toletano VI. subscripsisse: *Domarium Presbyterum Arcabicensis Ecclesiæ agentem vicem Carterii Episcopi.*

9. Tertia mentio *Calabriensis Sedis* invenitur inter subscriptiones Concilii Toletani VII. celebrati Era DCLXXXIV. ubi secundum Codicem Albeldensem ita legitur: *Servus Dei Sanctæ Ecclesiæ Calabriensis Episcopus hæc statuta definiens subscripsi.* Codex autem Toletanus habet *Calabreñ.* ut videre est apud LOAISAM, qui utramque lectionem protulit. MORALES *Lib. XII. cap.* 25. *fol.* 134. *pag.* 2. legisse videtur *Calibriensis*, ubi facile A. permutata fuit in I.

10. Præter Servum Dei fuit alius Epi-

scopus *Caliabriæ*, qui in Concilio Toletano VIII. habito Era DCXCI. hoc modo subscripsit: *Celedonius Calabriensis Episcopus.* MORALES *Lib. XII. cap. 30. fol.* 142. *pag.* 1. Hispane transferens hanc subscriptionem ita scripsit: *Celidonio de Calabro.* Quæ lectio a cæteris omnibus discrepat: ideoque debet emendari.

11. Idem Celidonius subscripsit in Concilio Toletano X. celebrato Era DCXCIV. ut videre est apud ANTONIUM DE IEPES in *Chronico Sancti Benedicti, tom.* 2. *cent.* 2. *pag.* 4. ubi subscriptiones hujus Concilii in editis exemplaribus omissas recensens, hanc attulit, *Celidonio de Caliabria.*

12. Tertius Episcopus Calabriensis Sedis, cujus exstat memoria, est qui Emeritense Concilium habitum Era DCCIV. hoc modo subscripsit: *Alvarius, indignus Sanctæ Calabriensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.* Initio hujus Concilii ita legitur: *Congregatis nobis omnibus Provinciæ Lusitaniæ Episcopis in nomine Domini, residentibus in Hierusalem Ecclesia, quæ in Emeritensi urbe (quæ caput hujus Provinciæ noscitur esse, & sub Principali nomine dedicata) juxta ordinem priorum Canonum nostrorum, cum Dei juvamine cœptum est initium.* Hinc igitur, & ex ipso Concilii nomine colligitur, *Calabriam*, vel *Caliabriam* fuisse Sedem Emeritensis Ecclesiæ suffraganeam.

13. Postremus ejusdem Sedis Episcopus

fuit

fuit qui in Concilio Toletano XV. celebrato Era DCCXXVI. ita subscripsit: *Ervigius Calabriensis Episcopus subscripsi.*

14. Atque hæc sunt vera monumenta hujus Sedis. Quæ testimonia si enumeremus, & conferamus, pro *Calabria* quinque sunt; pro reliquis singulis lectionibus, singularia: & illæ Sedis *Lacobrigensis*, & *Archobricensis*, ex ignoratione Sedis *Caliabriæ* nasci potuerunt; reliquæ, ex vocabuli corruptione. Rejiciamus nunc fabulosa.

15. Qui Lucense Concilium finxit, ita scripsit apud LOAISAM, *pag.* 129. *Caliabrica, quæ apud Gotthos postea Sedes fuit.* Quî, quæso, Patres qui sub Teudemiro Suevorum Rege Concilium illud celebrasse dicuntur Era DCVII. potuerunt scribere illa verba, *quæ apud Gotthos postea Sedes fuit*; rem futuram scilicet ut præteritam annuntiantes? Hic error repetitus fuit in *Divisione terminorum Diœcesium & Parochiarum Hispaniæ*, Regi Wambæ affictæ, cui insertum est falsum illud Lucense Concilium apud LOAISAM, *pag.* 137. unde colligi potest, Wambæ attributam *Divisionem* fuisse posteriorem fictione Lucensis Concilii. Sed hæc conficta monumenta minime inter se conveniunt: nam cum in Lucensi Concilio dicatur esse *Caliabria*, Parœcia Vesensis, ad Bracaram Callæciæ Metropolim pertinens dicta *pag.* 133. Wambanis Divisio adjungit *pag.* 141. suffraganeam esse Emeritæ;

quæ Metropolis erat Lusitaniæ. AMBROSIUS MORALES *Lib. XII. cap.* 50. *fol.* 175. *pag.* 2. difficultatem subodoravit; sed ei succubuit obscuritatis prætextu: & cum monumenta illa posset arguere falsitatis; maluit agnoscere duas *Caliabrias* nullo solido nitens fundamento.

16. Ibidem ait MORALES, *Itacium*, (id est, Codicem ita nominatum) & *Lucam Tudensem dicere Caliabriam esse Montanches*. Nimirum LUCAS TUDENSIS servans suum transcribendi morem, Itacium descripsit in *Chronico Mundi*, *pag.* 58. *tomi IV. Hispaniæ Illustratæ*. Ex Itacio schedulam depromtam habes apud LOAISAM *pag.* 155. quam sequutus est FRANCISCUS PADILLA, *fol.* 47. Chronologiarum. Verum eam merito despexit MORALES *Lib. XII. cap.* 19. *fol.* 174. *pag.* 2. & ejus vestigia pressit JOHANNES MARIANA *Lib. VI. cap.* 15.

17. Nunc dubitari potest, an *Caliabria* sic a Gothis dicta, antea nominata fuerit *Caliabrica*, aut *Caliabriga*. Ad propositum meum quod attinet, nihil interest, cum BRIA, BRICA, & BRIGA, idem significent. Falsæ illæ lectiones *Lacobrigens*, & *Archobrigens*, favere videntur *Caliabrigæ*. Equidem nisi per Numismata antiqua, Inscriptiones, & Scriptores Geographicos, notissima esset *Segobriga*; crederemus olim dictam *Segobriam*, ob gentile *Segobriense* toties a Gothis repetitum. Sic etiam monumen-

menta Gothica passim habent *Colimbria*, & *Conimbria*; non *Conimbrica*. Idem igitur evenire potuit in *Calabria*. Utut autem vocata fuerit antiquitus, prima pars vocabuli, videlicet *Cala* videtur esse Celtica, ut colligitur ex *Calagurris*, & ex *Caladuno* sito etiam in Hispania, ut videre est apud PTOLEMÆUM *Lib. II. cap.* 6. Dixi CALA videri esse vocem Celticam; nam in Caladuno composito, DVNVM significat *montem*, ut de *Duno* altera nominis parte dixit Clitophon decimo tertio de urbium ædificationibus apud PLUTARCHUM de *Fluminibus in Arare*. Adde *Sebendunum* in Castellanis apud PTOLEMÆUM *Lib. II. cap.* 6. & *Arialdunum* in Bætica apud PLINIUM *Lib. III. cap.* I. Hanc significationem comprobat FLORUS LUGDUNENSIS *Epistola ad Modoinum* Episcopum Augustoduni, quam urbem nominavit *Augustum montem* hoc modo:

Salve, sancte Parens, Christi veneran-
de Sacerdos
Augusti Montis Pastor in arce potens.

& HENRICUS ANTISIODORENSIS *Lib. I. Vitæ Sancti Germani, cap.* 3.

Augusti Dunum demum concepta vocari
Augusti montem transfert quod Celtica lin-
gua.

Inde quamplurima urbium nomina desinentia in *Dunum*, quæ colligit GEORGIUS BUCHANANUS in *Rer. Scoticar. Histor. Lib. I.* & ex eo eruditissimus ÆGIDIUS ME-

NAGIUS in *Originibus linguæ Gallicæ*, verbo *Dun*.

18. *CANTABRIA*. B. ISIDORUS *Lib. IX. Etymol. cap.* 2. ita scripsit: *Cantabri gens Hispaniæ a vocabulo Urbis, & Hiberi amnis cui insidunt, appellati.* Hæc nominis notatio verisimilitudine caret. Nam si vera esset, *Canta* esset nomen urbis cujus nulla exstat mentio apud antiquos Geographos, Historicos, & reliquos scriptores, qui ante B. ISIDORUM floruerunt: & si postrema syllaba ejusdem nominis ex vocabulo *Iber* componeretur; analogia exigeret, ut *Cantiber*, *Cantiberi* diceretur, uti *Celtiber*, *Celtiberi*. STEPHANUS BYZANTINUS in *Cantabria* sic ait: *Cantabria regio, de qua* STRABO *Lib. III. Incolæ Cantabri, uti a Calabria Calabri.* Nemo audebit dicere *Calabros* dictos fuisse a *Cala*, urbe, & Hibero amne: nam ut situm taceam, analogia nominis id repugnat. *Cantabri*, ut mihi videtur, verisimiliter dicti sunt a *Cantabria*; *Cantabria*, a *Canta*, & *Bria*. BRIA quid significet, scimus. Quid *Canta*, aliquo modo conjectari possumus, si meminerimus *Canthum* esse circulum ferreum quo absis, sive rotæ curvatura munitur. Quod vocabulum Afrum, vel Hispanum fuit, teste QUINCTILIANO *Institut Oratoriar. Lib. I. cap.* 5. ubi ita scripsit: *Barbarismum plurimis modis accipimus. Unum in gente, quale sit, si quis Afrum, vel Hi-*

Hispanum Latinæ orationi nomen inserat, ut ferrum quo rotæ vinciuntur dici solet Canthus: quanquam eo tanquam recepto utitur Persius. Nimirum in *Satyra v.* ỷ. 70. ubi sic ait:

Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere Canthum,
Cum rota posterior curras, & in axe secundo.

Nec unus fuit Persius, qui hac voce usus est; sed MARTIALIS etiam Celtiber, *Lib. XIV. epigr.* 168. B. HIERONYMUS *Lib. III. in Ezechielem*, DIOMEDES Grammaticus *Lib. III. col.* 474. B. AUGUSTINUS *Lib. de vera Religione*, & PROBUS ad illud VIRGILII.

Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra.

Itaque idem est *Cantabria*, ac *ferri civitas.* Equidem PLINIUS *Lib. IV. cap.* 24. de illa Hispaniæ parte agens, ita scripsit: *Omnisque dicta regio a Pyrenæo metallis referta, auri, argenti, ferri, plumbi nigri, albique;* & *Lib. XXXIV. cap.* 14. hoc ipsum repetens ait: *Metallorum omnium vena ferri largissima est. Cantabriæ maritima parte, quam Oceanus alluit, mons prærupte altus, incredibile dictu, totus ex ea materie est, ut in ambitu Oceani diximus.* Eruditi judicent an hinc illustrari possit etymon *Cantii* promontorii, & *Cantabrigiæ.*

19. Adde, non omnino certum est nomen hoc, *Cantabria* recentius esse nomine *Hiberi* amnis. Concedam libenter, antiquissimam Cantabrorum mentionem esse eam, quam non semel fecit SILIUS ITALICUS; præcipue vero illam *Lib. III. Punicor. ℣. 325.* ubi recensens milites Hannibalis, Cantabros etiam adnumeravit, ita canens:

Nec non totus adest vesper, populique repostì
Cantaber ante omnes hiemisque, æstusque, famisque
Invictus, palmamque ex omni ferre labore.

Concedamus etiam, SILIUM ITALICUM ibi poëtice loquutum, ut arguunt illa verba, *totus adest vesper*, & eundem memorasse Cantabros, quos non agnovit Polybius Megalopolitanus, qui natus fuit Olympiade CXLIII. anno 4. u. c. DXLIX. P. Cornelio Scipione Africano, & P. Licinio Crasso Divite Coss.; decessitque Olymp. CLXIV. anno I. u. c. DCXXXI. Q. Cæcilio Metello Baliarico, & T. Quinctio Flaminio Coss. Sed negare non audeo Cantabros caruisse nomine. Aliud est, eos incognitos fuisse Græcis, Romanisque, & sub generali Celtarum nomine comprehendi, nulla gentium sub illis contentarum distinctione; aliud nomine caruisse, cum singulæ regiones suum nomen haberent. Scimus quidem Hiberum amnem apud Cantabros per longam planitiem

tiem versus meridiem fluere, parallelum Pyrenæis montibus; & prope Dertosam mare ingredi, ut ait STRABO *Lib. III. pag.* 110. Sed quo idoneo teste probabitur, amnem hunc antiquitus appellatum fuisse *Hiberum*, cum sciamus Bætim antea tot nomina habuisse; Tagum vocatum *Chrysum*; Minium *Bænim*; Sucronem, *Sicanum*, & similiter alios? Sed permittamus hujus nominis antiquitatem. Superest difficultas disolvenda, a quo amne Hibero dicta sit Hiberia: nam hoc incertum est. Recentiores scriptores ajunt, accepisse nomen ab Hibero amne hodie notissimo, orto in Cantabris, haud procul oppido Juliobriga (nunc *Reinosa*) ut LUCANUS *Lib. IV. de Bello Civili*, *versu* 22. PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. SOLINUS *cap.* 23. CURTIUS *Lib. X. cap.* I. AMMIANUS MARCELLINUS *Lib. XXIII. pag.* 270. SERVIUS ad *Æneidos Lib. XI.* ℣. 913. PHILOSTORGIUS *Lib. IX. cap.* 17. STEPHANUS in *v. Iberia*, S. HIERONYMUS in *Isaiam cap.* 66. S. ISIDORUS *Etymol. Lib. IX. cap.* 2. EUSTATHIUS *ad Dionysium Afrum*, NICEPHORUS CALLISTI *Lib. XII. cap.* I. & VIVIUS Sequester, qui cum ordine alphabetico scripserit, docet aspirationis notam præmitti debere, quod admonuit etiam ANTONIUS AUGUSTINUS in *Dialogo III. & VIII. Antiquitatum*. Atque hoc Iberiæ nomen debetur Græcis, ut docuerunt PLINIUS, & CURTIUS in locis laudatis. Equidem non omnes

scri-

scriptores supra memorati expresserunt de quo Ibero amne loquuti sunt; sed credi debet de majori. Plurimi autem, iique antiquiores Iberiæ nomen derivant ab Ibero amne, quem hodie vocari credunt, *Rio Tinto*, FLORIANUS DO CAMPO *Lib. III. cap. 7.* & BERNARDUS ALDRETE *Lib. III. Originis linguæ Castellanæ, cap. 2.* cujus sententiæ conservationem debemus SEX. RUFO AVIENO, qui in *Ora Maritima* ℣. 248. ita scripsit:

Anhyberus inde manat amnis, & locos
Fœcundat unda. Plurimi ex ipso ferunt
Dictos Hyberos, non ab illo flumine,
Quod inquietos Vasconas prælabitur.
Nam quidquid amni gentis hujus adjacet,
Occiduum ad axem, Hyberiam cognominant.

NICOLAUS ANTONIUS in *Notis ad Avienum* brevitate qua solet, ita scripsit: *At, vel Ac Hiberus, de quo Scylax in Periplo.* Equidem si flumen fuisset dictum *Anhyberus*; inde *Anhyberia*, non vero *Hiberia* dicta fuisset, pro *An* substituere *Et*; aut *Ac*: cum illa syllaba omissa, secundum metricos canones sic recte legatur:

Hiberus inde manat amnis, & locos.

20. Porro Scylax Caryandensis Europæ circumnavigationem incœpit ab Hiberis, & nominatim ab Herculeis Columnis, quia portio altera hujus continentis sibi erat ignota,

ta, ut POLYBIO *Lib. III. cap.* 37. Sic autem ait SCYLAX. *Europæ primi sunt Iberi, Iberiæ gens fluviusque Iberus : & insulæ ibi sunt binæ , quibus nomen Gades.* Avieni sententiam etiam confirmare videtur HERODOTUS *Lib. I. cap.* 163. sic enim ait : *Hi Phocenses , primi Græcorum longis navibus usi fuerunt : Adriamque simul , & Tyrrhenicam, Hiberiam , atque Tartessum occupaverunt .* Non enim occupaverunt Phoceenses *Hiberiam* late sumtam. *Hiberiæ* nomen vetustius est nomine *Hispania* , ut docuerunt JUSTINUS *Lib. XLIV. cap.* 1. APPIANUS in *Ibericis* , AGATHEMERUS *Lib. I. cap.* 2. & *Lib. II. cap.* 4. & STEPHANUS V. *Hispaniæ* ; ubi quod ait *Paniam* etiam dictam fuisse , fabulosum est : idque videtur didicisse ex XIII. Sosthenis Libro rerum Ibericarum , ut videre est apud PLUTARCHUM de *Fluviis cap. de Nilo.* Equidem *Hispaniæ* vetustior mentio est quam fecit apud STEPHANUM in V. *Iberiæ* ARTHEMIDORUS EPHESIUS , qui floruit Olymp. CLXIX. A. u. c. DCLI.

21. Ex memorato Avieni loco apparet, initio *Iberiam* parvum spatium occupasse, quod in plurimis aliis locorum nominibus contigit : postea vero extensum fuisse. POLYBIUS *Lib. III. cap.* 37. ita scripsit de Hispania loquens : *Quæ porrigitur secundum mare nostrum portio , ad Columnas usque Herculis , Iberia nomitatur quæ secundum ma-*

mare externum, quod & magnum indigetant, communem appellationem nondum invenit, quia nondum fuit explorata. Adde CHARACEM *Lib. III. rer. Græcar.* apud Constantinum Porphyrogenetam de *administratione Imperii, cap.* 24. Paullatim autem extensam fuisse *Hiberiam*, prout gentes ignotæ noscebantur, colligitur ex hoc testimonio, quod debemus STEPHANO in v. *Iberiæ. Artemidorus vero Libro secundo Geographicorum ita divisam refert. A Pyrenæis montibus usque ad mediterranea, quæ sunt apud* Gades *communi nomine Iberia & Spania nuncupatur. A Romanis in duas Provincias divisa est* (Citeriorem scilicet, & Ulteriorem). *Prima* (citerior scilicet) *se extendit universa a Pyrenæis montibus usque ad novam Carthaginem, & fauces fluminis Bætis. Secunda autem Provincia* (nempe Ulterior) *occupat quod superest ad Gades, & Lusitaniam usque.* Miror itaque MARCIANUM HERACLEOTAM in *Celtogalatiæ Periplo* notasse Artemidorum propterea quod nullam fecerit divisionem Provinciarum in Iberia. An quia trinam divisionem non memoravit, de qua MARCIANUS in Periplo Iberiæ?

22. Quod vero ait POLYBIUS portionem ultra Hiberiam suo tempore communi nomine caruisse, intelligendum est de nomine aliquo peculiari apud Græcos usitato; nam certissimum est, ultra Hiberiam fuisse Celticam, de qua ita STRABO *Lib. IV. pag.*

137.

137. *Ephorus Celticam ingenti facit magnitudine, quod ii pleraque Hispaniæ mediterraneæ nunc dictæ loca ad Gades tenuerint.* Quod si ERATOSTHENES pro Gallis Celtas intellexit, excusari potest adversus POLYBIUM, qui secundum STRABONEM *Lib. II. pag. 73.* sic eum reprehendit. *Rursus hoc quoque vere pronuntiat* (POLYBIUS) *Eratosthenem esse rerum Hispanicarum ignarum, qui usque ad Gades in ora Hispaniam a Gallis incoli dicens (siquidem Galli occidua Europæ usque ad Gades incolunt) horum oblitus in Hispaniæ describendo circuitu nullam fecit Gallorum mentionem.* Porro *Cantabria* Celticâ comprehendebatur teste Scymnochio, qui post Tartessum (hodie *Guadalquivir*) Celticam collocavit, addens ℣. 166.

Deinde regio Celtica vocata
Usque ad mare, quod Sardiniæ adjacet.

23. Sed ut eo redeam unde digressus fui, fuisse olim Civitatem, quæ dicta fuerit *Cantabria*, sic confirmari potest. PLINIUS *Lib. III. cap. 3.* sic ait: *In Cantabricis quatuor populis, Juliobriga sola memoratur.* Hic in populorum numero proculdubio est error. Nam apud PTOLEMÆUM *Lib. II. cap. 6.* octo civitates mediterraneæ numerantur, quin ille numerum hunc definierit, videlicet hæ, *Concana, Ottaviolca, Argenomescum, Vadinia, Vellica, Camarica, Juliobriga, Moroeca.* Laudatus PLINIUS *Lib. IV. cap. 20.* ita scripsit: *Civitatum IX. regio Can-*

Cantabrorum. Adnumeretur igitur *Cantabria*, & erunt IX. Facile autem apud PLINIUM pro IX. scribi potuit IV. primum numeralibus notis, & postea litteris, *quatuor*.

24. *CONTEBRIA*, in hunc censum referri debet, cujus verum nomen nobis conservavit AURELIUS VICTOR in *Q. Cæcilio Metello Macedonico*, ubi memorans res quas gessit in Hispania, sic ait: *Apud Contebriam oppidum cohortes loco pulsas redire, & locum recipere jussit*. Sita fuit in Celtiberia referente LIVIO *Lib. XL. cap.* 33. ubi narrat Prætorem Q. Fulvium Flaccum eam expugnasse. Ibi vocat illam litteris transpositis *Contrebiam*, ut ferme solent scriptores. Postea Proconsul Quintus Metellus Macedonicus eam, cum defecisset, recepit A. Varroniano DCXII. ab u. c. uti memoriæ prodidit VELLEJUS PATERCULUS *Lib. II. cap.* 5. cui jungi possunt FLORUS *Lib. II. cap.* 17. VALERIUS MAXIMUS *Lib. II. cap.* 7. *num.* 10. *Lib. VII. cap.* 4. *num.* 5. Et AURELIUS VICTOR in *Q. Cæcilio Metello Macedonico*. Atque huc referri debet *Epitome Liviana Lib. LIII.*

25. *TENEBRIA*. De hoc vico ita Stephanus Byzantinus. *Tenebrium promontorium. Et vicus Tenebria Iberiæ. Vicanus, Tenebrianus, ut Poltymbrianus, Mesembrianus*. Vicus igitur ille promontorio nomen dedit; & *Tenebrio Portui*, quorum meminit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. qui utrumque con-

sti-

stituit apud Ilercavones prope Hiberi fluminis ostia. Eruditissimus PETRUS JOHANNES NUNNESIUS ait, Promontorium *Tenebrium* esse *el Cabo de Orpesa*, quæ fuit felicissima patria Emmanuelis Martini, Decani Alicantini. Non est igitur Promontorium *de los Alfaques*, uti voluit LAURENTIUS PADILLA in *Antiquit. Hispaniæ*, *pag.* 2. *Portus Tenebrius* videtur esse unus ex iis quos eleganter descripsit EMMANUEL MARTINUS in *epist.* 4. *Lib.* *III.* & in eruditissima *Apasterosi.* Non est autem Portus Tenebrius Cherronesi, sive Peninsulæ, qui longius distat; nam in Geographicis Descriptionibus, ubi desunt signa, quibus loci demonstrantur, intelligi debent loca proximiora. Prætera si esset Peninsulæ Portus, vocaretur Cherronesi Portus, quod nomen, ut hodie, habebat Peninsula, teste STRABONE *Lib. III. pag.* 110. & AVIENO in *Ora Maritima* ℣. 491. Promontorium Orpesæ Arabice vocatur *Alcocever*, ut refert ESCOLANUS *Lib. VIII. Historiæ Valentiæ*, *cap.* 1. *num.* 1. ab oppido scilicet ejusdem nominis, ut ipse auctor scripsit in eodem *Lib.* *VIII. cap.* 2. *num.* 7. Sed cum illud oppidum dirutum fuerit, accepit nomen ab alio oppido *Orpesa* videlicet.

26. Oppidis in BRIA desinentibus adjungendum est *Cisimbrium* terminatione paullisper immutata. PLINIUS *Lib. III. cap.* 1. inter celeberrima oppida Bæticæ memoravit

Episimbrium. AMBROSIUS autem MORALES in *Antiquitatibus fol.* 26. *pag.* 2. testatur se vidisse duos codices manu exaratos, in quorum altero legebatur *Cisimbrum*, in altero *Cisimbrium*. JOHANNES etiam HARDUINUS in laudato PLINII *cap.* adnotavit, se legisse in duobus Colbertinis exemplaribus *Cisimbrium*. Ad propositum nostrum quod attinet, parum refert utro ex his modis legatur. Nam licet prius nominaretur *Cisimbrium* facile omitti potuit tertia vocalis.

27. *CISIMBRIUM* autem vel *Cisimbrum* situm fuit in loco nunc deserto prope Cabram, quod *Zambra* dicitur, ut docuit AMBROSIUS MORALES in *Antiquit. fol.* 19. *pag.* 2., ubi vulgavit Inscriptionem Zambræ inventam, & allatam Capram: eademque Inscriptio legitur apud OCCONEM *pag.* 14. *num.* 4. ESCOLANUM *Lib. IV. Hist. Valentiæ cap.* 14. *col.* 798. & LIPSIUM in *Auctario Inscriptionum Smetii pag.* 31. qui locum inventi lapidis memorans ait, *Hisp. in Cicena, sive Cisimbrii*, ubi pro *Cicena* reponendum est *Zambra*. Eodemque modo emendandus est *Thesaurus Gruterianus pag.* 168. *num.* 1.

28. Præter laudatam Inscriptionem edidit aliam LIPSIUS *pag.* 36. & GRUTERUS *pag.* 477. *num.* 5. ubi mentio fit *Municipii Cisimbrensis*.

29. Quicumque has Inscriptiones contulerit cum ea quam MURATORIUS edidit

To-

Tomo 1. *Novi Thesauri veterum Inscriptionum*, *pag.* 319. *num.* 2. quæ reperta fuit *Capræ*, in cujus territorio fuit *Cisimbrium*; facile concedet in 2. versu legi debere MVNICIPES CISIMBRENSES, alioqui lectio monstrosa erit nullum habens sensum.

30. Quam facile vero ex *Cisimbrio Zambra* nomen efformatum fuerit, animadvertet facile quicumque consideraverit, in Hispanis vocabulis frequentissime permutari C. in Z. quia hæ litteræ eandem habent potestatem, cum Z. præponitur primæ, quartæ, aut quintæ vocali; & C. secundæ, aut tertiæ. Itaque ex *Cæsaraugusta* dicimus *Zaragoza*; ex *Castro Sublantio*, *Sollanzo*; ex *Segontia*, *Siguenza*; ex *Tamarica*, *Tamariz*. *I* autem omissa est ut in quampluri-nis aliis oppidorum, & urbium nominibus. Nam ex *Alteja* venit *Altea*; ex *Apiario*, *Biar*; ex *Asturica*, *Astorga*; ex *Beatia*, *Baeza*; ex *Campania*, *Campiña*; ex *Capraria*, *Cabrera*; ex *Colubraria*, *Moncolobrer*; ex *Durio* flumine, *Duero*; ex *Frumentaria*, *Formentera*; ex *Gibel Tarik*, *Gibraltar*; ex *Gallica Flavia*, *Fraga*; ex *Larcuris*, *Alarcos*; ex *Palumbraria*, *Palomera*; ex *Pollentia*, *Pollenza*; ex *Salmantica*, *Salamanca*; ex *Segontia*, *Siguenza*; ex *Scombraria*, *Escombrera*; ex *Vadi Hagiaria*, flumine Arabico, *Guadalajara*; ex *Valeria*, *Valera*.

31. Neque nova est supra memorata per-

mutatio. Nam *Cezimbra* Portugaliæ a Mauris etiam dicta est *Zambra*, teste LUDOVICO MARMOLIO in *Prima Parte Descript. Africæ*, *Lib.* II. *cap.* 35. *fol.* 175. *col.* 3.

32. *EBUROBRITIUM* situm in Lusitania teste PLINIO *Lib.* IV. *cap.* 21. etiam huc pertinet argumento ducto ad *Eburodumo*, & *Eburobriga*, quæ leguntur apud Antoninum.

CAP. VII.

De Oppidis Hispanis, in quibus invenitur vox BRICA, BRIGA, BRIG, BRIS, *aut* BRIX.

1. A BRIA facilis est transitus ad BRICA, sive BRIGA, eâdem significatione retentâ. Romani enim initio littera G. caruerunt, donec Sp. Corvilius eam invenit, ac distinxit, ut refert Terentianus Scaurus: & etiam post hanc litterarum distinctionem aliquando sonus confusus fuit, ut multi Grammatici notarunt. Hinc plura nomina quæ PLINIUS finivit in BRICA, PTOLEMÆUS terminavit in BRIGA. Significat *Brica*, sive *Briga*, idem ac oppidum, ut videre est apud FESTUM, cujus antiquissimum exemplar editum *Mediolani tertio nonas augustas millesimo quadringentesimo septuagesimo primo anno sic habet*: *Laccobrigæ nomen compositum a lae* (videtur legendum lac) *& arcobriga Hispaniæ oppido*, men-

mendose proculdubio; sed nec satis emendata est lectio vulgaris editionis, quæ hujusmodi est: *Lacobrigæ nomen compositum a lacu, & Briga Hispaniæ oppido.* An quia *Lacobriga*, cujus in suburbiis & sub moenibus, rivuli, & fontes exstabant, ut memorat PLUTARCHUS in *Sertorio*, *pag.* 318. habebat etiam lacum aliquem, a quo denominata fuerit? Sed quis credat antiquam Hispaniæ urbem nomen habuisse a Latino verbo compositum? præsertim cum duæ fuerint *Lacobrigæ*, ut suo loco videbimus. Fulvius Ursinus legit in libro manuscripto a *lac* & *ercobiga*. Ego legerim *Laccobriga nomen compositum a Lacco & Briga, Hispanis oppido*: & prior hujus nominis pars ignotum mihi hominem, aut rem quampiam significat, quæcumque illa fuerit, & posterior, *Oppidum*: idque comprobat magnus Hispanorum oppidorum numerus, quæ mox litterarum ordinem servans recensebo: quorum alia incipiunt per *Briga*, sive *Brig*: alia desinunt in *Brica*, sive *Briga*, vel *Bris*, aut *Brix*. Ecce illa.

2. *BRIGANTIUM*, urbs Callæciæ, cujus meminerunt DIO CASSIUS *Lib.* XXXVII. *pag.* 54. & *Itinerarium Antonini in Itinere per loca maritima a Bracara Asturicam*, secundum PTOLEMÆUM, *Lib.* II. *cap.* 6. Callaicorum Lucensium in magno portu, ubi PTOLEMÆUS illud nominat *Flavium Brigantium*, proculdubio quia Colonia fuit ali-

cujus e Flavia Gente. OROSIUS omnium optime ejus situm designavit, *Lib. 1. cap. 2.* ubi Hispaniam describens ait: *Secundus angulus Circium intendit: ubi Brigantia Callæciæ Civitas sita, altissimam pharum, & inter pauca memorandi operis, ad speculam Britanniæ erigit*: & paullo inferius: *Hibernia insula inter Britanniam, & Hispaniam sita longiore ab Africo in Boream spatio porrigitur. Hujus partes priores intentæ Cantabrico Oceano, Brigantiam Callæciæ Civitatem ab Africo sibi in Circium occurrentem, spatioso intervallo spectant.* RAVENNAS etiam *Lib. IV. cap.* 43. appellavit *Bricantiam* urbem hanc. Cujus etiam meminit *Notitia Imperii Occidentalis, pag.* 147. *col.* 1. ubi cum tractetur de Provincia Hispaniæ Callæcia, sic legitur: *Tribunus cohortis Celtiberæ Brigantiæ, nunc Juliobriga*: quæ postrema verba non indicant, *Brigantiam* esse *Juliobrigam*; sed Tribunum antea fuisse *Brigantiæ*, & postea *Juliobrigæ*.

3. Cum *Brigantium* igitur esset Hiberniam contra, & Pharum haberet, proculdubio est *Corunia*, non vero *Betanzos*, ut voluit PETRUS ANTONIUS BEUTER *Lib. 1. Chronici Generalis, cap.* 9. *fol.* 39. eumque sequutus JOHANNES MARIANA *Lib. IV. de Rebus Hispaniæ, cap.* 4. qui tamen *Lib. 1. cap.* 9. vere dixerat *Portum Brigantinum* vocari hodie *Coruña*. Ejus situm cum optime sciret personatus Julianus Petri, observa-

vari debet quæ finxerit in *Adversariis* 136. 167. 208. 428. 530. & quæ nomine Dextri dixit *ad annum* 41. de B. Jacobi prædicatione in Britanniis, ac Venetiarum oppidis, cum Venetiarum nomen non esset auditum. Sed impostor ille incrustare voluit, quæ nimis credule scripserat AMBROSIUS MORALES *Lib. IX. cap. 7. fol.* 243. *litt.* F. Consuli potest NICOL. ANT. in *Censura Historiarum fabulosarum*, *Lib. III. cap.* 6. §. 11.

4. Sed quoniam Pharus Brigantina nobis lucem attulit ad situm ejus indagandum; age de ea aliquid dicamus. Ad hanc, ut vult MORALES *Lib. XIII. cap.* 51. referenda sunt, quæ scripsit Alfonsus III. *in Chronico*, ubi agens de Ranimiro, nominavit *Farum Brecantium*, ut legitur in codice JOHANNIS BAPTISTÆ PEREZII; *Farum Bregantium*, ut edidit SANDOVALIUS, eumque sequuti FERRERAS, & BERGANZA; *Farum Brigantinum*, ut codices JOHANNIS LUCÆ CORTESII, & JOSEPHI PELLICERII. Sed audiamus, quid de illa Pharo scripserit JOHANNES MARIANA, *Lib. I. de Rebus Hispaniæ*, *cap.* 9. Hic post explosam fabulam de nescio quo speculo, alia lectoribus suis persuadere voluit. *Constat* (inquit) *turrim illam in honorem Augusti Cæsaris fuisse a Brigantinis Civibus constitutam C. Sevio Lupo Lusitano Architecto, cujus nomen hoc ipso tempore vicinis rupibus incisum legitur, nimirum in publico id opere facere lege vetitum*

tum erat : quæ lex inter Romanas in Pandectis exstat , fuitque Phidiæ Athenis capitale , violata ea lege suam , & Periclis imagines in scuto Palladis efformasse , quamvis in dissimulato habitu : in quo religio etiam læsa esse poterat judicari.

5. PETRUS ANTONIUS BEUTER *Lib. I. Chronici Generalis Hispaniæ, cap.* 10. *fol.* 45. ait , prædictam Inscriptionem esse *juxta Turrim* ; ALVARUS GOMEZIUS de *Rebus gestis Francisci Ximenii , Lib. III. fol.* 57. *pag.* 2. *seorsim ab ipsa turri.* MARIANA *in vicinis rupibus.* MAURUS CASTELLÀ FERRER in *Hist. B. Jacobi Lib. II. cap. 7. f.* 149. *ad pedem arcis veteris in saxo.* Præterea Inscriptio diversimode proposita est ab Alfonso Venero in *Enchiridio Temporum* , ALFONSO CASTRIO *apud Smetium fol.* 25. *num.* 15. ALVARO GOMEZIO *supra laudato loco* , GRUTERO , *pag.* 57. *num.* 7. LUDOVICO NONIO in *Hispania* , *cap.* 54. MAURO CASTELLÀ FERRER , in *Historia Sancti Jacobi , Lib. II. cap. 7. fol.* 143. *pag.* 2. JOHANNE TAMAYO SALAZAR *ad diem* 2. *Februarii.* Itaque non constat turrim illam in honorem Augusti Cæsaris fuisse a Brigantinis constitutam , C. Sevio Lupo Lusitano Architecto , ut ait MARIANA : cum neque Phari ulla in inscriptione mentio fiat , & secundum omnes tam diversas lectiones Augustus in ea non nominetur. Præterea falsum est quod ait MARIANA , transcribens , uti solet , Flo-

ria-

rianum do Campo *Lib. 1. cap.* 16. *nomen proprium describere in publicò opere vetitum esse , & hanc legem exstare in Pandectis.* Imo , ut in ipsis Pandectis legimus *l.* 2. *de operibus publicis. Qui liberalitate , non necessitate debiti reditus suos interim ad opera finienda concessit , munificentiæ suæ fructum de inscriptione nominis suis operibus , si qua fecerit , capere per invidiam non prohibetur* ; solumque Judicibus vetitum fuit , operibus publicis suum potius nomen , quam Principis scribere , *l. si quis* 31. *Cod. Theodos. de operibus publicis* , quæ lex aliquantulum interpolata legitur in 10. *ejusdem tit. Cod. Justin.* Architectus igitur , qui sumtus præbebat , aut suis expensis opus perficiebat , nomen suum incidere poterat , legibus id non impedientibus ; quod Architectis sæpissime permiserunt Principes in operibus publicis , ut Ptolemæus Lagi filius Ægypti Rex , qui Turri facta in insula Pharo magno animo permisit Sostrati Gnidii Architecti structuræ ipsius nomen inscribi , referente Plinio *Lib. XXXVI. cap.* 12. Et quin longe abeamus , apud Gruterum , *pag* 41. *num.* 5. videmus , Cluniæ (hodie , *Coruña del Conde* distincta ab ea qua de agimus) Templum Dianæ Matri D. D. Apulejum Architectum substruxisse. Quod opus publicum fuit , ac proinde publico sumtu factum cum privati nulla fiat mentio. Scio quidem Sauron atque Batrachum opibus præpotentes

sua

sua impensa construxisse templa Octaviæ porticibus inclusa, Inscriptionem sperantes, quæ illis negata: hoc tamen eos alio modo, & loco usurpasse: nam in columnarum spiris inscalpta nominum eorum argumento, rana, atque lacerta, ut refert PLINIUS *Lib. XXXVI. cap.* 5. lacertâ scilicet Scauron, & ranâ Batrachon Græca nomina designantibus. Porro quod JOHANNES MARIANA refert de Phidia, æque falsum est. PLUTARCHUM scilicet legerat, eumque non intellexit in *Pericle*, *pag.* 373. Hic insignis plastes non fuit occisus propterea quod Atheniensium aliquam legem violarit, prohibentem se efformare in publico opere: sed quia cum in pugna Amazonica, quam finxit in clypeo Minervæ, effigiem suam expressisset calvi senis saxum ambabus manibus sublatum tenentibus, præclaramque inclusisset Periclis imaginem manus cum Amazone conserentis; tanti operis excellentia ita invidiam permovit, & Periclis figura tantum odium, ut prætextu auri vitiati accusatus fuerit, & in vincula ductus, quibus constrictus, morbo interiit, &, ut alii volunt, veneno sublatus. Ipse MARIANA confitetur, Phidiam se efformasse dissimulato habitu. Idem PLUTARCHUS antea scripserat, *pag.* 354. Phidiam ipsum Minervæ scutum fecisse, ejusque opificem esse basi inscriptum: non igitur hoc prohibitum erat. Subjungit ita MARIANA, *in quo religio etiam læsa per se poterat judicari.*

ri. Sed hoc est propriis indulgere conjecturis, ut frequentissime solet scriptor ille, alioqui, ut ejus stilus indicat, gravissimus.

6. Hæc cum ita se habeant, memorata Inscriptio nullo modo probat Phari Architectum fuisse Lupum.

7. *BRIGECIUM* occurrit in *Itinerario Antonini* in *Itinere ab Asturica Cæsaraugustam*, *& in Itinere ab Asturica per Cantabriam Cæsaraugusta.* PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. vocavit illud *Brigetion*, & RAVENNAS *Lib. IV. cap.* 45. *Brigiton.* Gentile *Brigæcini*, quos laudatus PTOLEMÆUS collocavit post *Geminam Legionem Septimam.* Ejus situs ignoratur.

8. In BRICA hæc desinunt.

9. *ABOBRICA.* Ejus situm optime descripsit POMPONIUS MELA *Lib. III. cap.* 1. in hunc modum: *In Artabris sinus ore angusto admixtum mare non angusto ambitu excipiens, Abobricam urbem, & quatuor amnium ostia incingit.* Artabri tempore MELÆ etiam erant Celticæ gentis, ut ipse testatur *Lib. III. cap.* 1. De iisdem ita scripsit STRABO *Lib. III. pag.* 106. *Ultimi colunt Artabri ad promontorium quod vocatur Nerium, in quod occidua, atque septentrionalis linea desinunt; habitant circum Celtici cognati eorum Celticorum, qui sunt ad fluvium Anam.* Artabri nomen dederunt Promontorio de quo ita PLINIUS *Lib. IV. cap.* 21. *Excurrit deinde in altum vasto cornu promontorium,*

quod

quod alii Artabrum appellavere , alii Magnum , multi Olisiponense ab oppido , terras, maria , cœlum disterminans. Fuit igitur *Abobrica* oppidum maritimum , & quidem *insigne* , ut PLINIUS illud appellavit, *Lib. IV. cap.* 20. ex quo melius ejus situs dignoscitur ; nam positum fuisse videtur contra *Cicas* insulas ; quæ non duæ , ut scripsit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. sed tres sunt , & etiam hodie *Cizas* vocantur , alioque nomine *las islas de Bayona* , testibus FLORIANO DO CAMPO *Lib. I. cap.* 2. *fol.* 13. *pag.* 1. & AMBROSIO MORALE , *Lib. VIII. cap* 23. *fol.* 156. *litt.* F. Itaque non male aliqui putant *Abobricam* esse , quæ hodie dicitur *Ribadavia.*

10. *AMALLOBRICA.* Hujus nomen conservatur apud Antoninum in *Itinere ab Emerita Cæsaraugustam.*

11. *AMANOBRICA* in hunc censum referenda esset , si genuinus esset nummus cujus meminit EZECHIEL SPANHEMIUS , *Dissertatione IX. de præstantia , & usu numismatum* , *pag.* 766. *adjuncta pag.* 769. & etiam ejus Indice v. *Amanobrica.* Spectatissimum SPANHEMIUM sequuti sunt JOHANNES HARDUINUS in *Nummis antiquis* , *pag.* 32. & EMMANUEL MARTINUS *epist.* 11. *Lib. III.* Sed cum certum sit nummum illum esse e Collectaneis Ligorinis ; & nusquam alibi visum fuisse ; proculdubio confictus fuit ab aliquo , qui apud PLINIUM

Lib.

Lib. IV. *cap.* 20 hæc legerat : *Amanum portus*, *ubi nunc Flaviobriga* : quod occasionem dedit attribuendi nummum Flavio Vespasiano. Scio quidem ONUPHRIUM PANVINIUM *Commentario in librum* II. *Fastorum*, *pag.* 423. scripsisse *Pyrrhum Ligorium Antiquariorum facile principem* ; ejusque stupendam diligentiam laudasse ANTONIUM AUGUSTINUM, *Dialogo* IV. *Antiquitatum*, EZECHIELEM SPANHEMIUM *Dissert.* III. *pag.* 139. LUDOVICUM ANTONIUM MURATORIUM, *Tomo* I. *Novi Thesauri veter. Inscript. pag.* 1. & 2. aliosque ; sed ipsorum Pyrrhi laudatorum alii fidem ejus elevant, alii aviditatem omnia colligendi absque delectu notant ; nonnulli etiam illusorem credunt, & præcipue RAPHAEL FABRETUS, *de aquis & aquæductibus veteris Romæ*, *Dis.* I. *pag.* 40. *num.* 71. *Diss.* II. *pag.* 113. *num.* 209. *Diss.* III. *pag.* 173. *n.* 334. *pag.* 174. *num.* 338. *pag* 178. *n.* 351. *pag.* 191. *num.* 401. in *Syntagmate de Columna Trajani*, *cap.* 8. *pag.* 235. *litt.* A. *pag.* 262. *litt.* D. *pag.* 264. *litt.* G. Et in *explicatione Inscriptionum antiquarum*, *quæ in ædibus paternis asservantur*, *pag.* 507. *col.* 1. & 2. Condemnemus igitur *Amanobricæ* memoriam, ut & similium oppidorum nomina, quæ solum leguntur apud personatum Dextrum, & Julianum Petri.

12. *AUGUSTOBRICA*. Eruditissimus PETRUS RHUA, cujus tres *Epistolas* adver-

sus

sus Antonium Guevaram Episcopum Mindoniensem Latinas feci, referens illius fictiones, *epist. 3.* ita scripsit: *Præterea Histobricam capite primo ait* (Guevara) *sitam fuisse ubi nunc Cauponæ Capparræ, aut mons situs inter scaphas Alconetæ, & domus dirutas Caceres. Hoc non invenitur in aliquo Cosmographo, qui de Hispania loquatur, quia nemo Histobricæ mentionem fecit. Fuit Augustobriga in Celtiberia. Altera in Lusitania prope Salmanticam. Tertia in Carpetania.* Huc usque insignis ille Philologus, cujus sapientia major fuit, quam fama. Sed age, distinctionem hanc comprobemus. Prima *Augustobrica* est illa, cujus mentionem facit ANTONINUS in *itinere ab Asturica per Cantabriam Cæsaraugusta*. Eam collocavit PTOLEMÆUS in *Pelendonibus*, *Lib. II. cap.* 6. & more suo *Augustobrigam* nominavit. Ejus ruinæ visuntur in oppido *Muro*, quod VIII. M. P. distat ab urbe Agreda, ut testatur HIERONYMUS ZURITA ad dictum Antonini locum, ubi tres profert Inscriptiones, & in 2. scribitur *Augustobriga*. Secunda est, quam PTOLEMÆUS collocavit in Vettonibus Provinciæ Lusitaniæ, eamque etiam nominavit *Augustobrigam*, unde gentile *Augustobrigenses* apud PLINIUM *Lib. IV. cap.* 22. Tertia occurrit apud ANTONINUM *in secundo itinere ab Emerita Cæsaraugustam.* Hanc dixit RHUA fuisse in Carpetania. An quia eam colloca-

vit

vit ANTONINUS juxta Toletum, quod teste PLINIO, *Lib. III. cap.* 3. fuit Carpetaniæ caput? Verum ibi *caput* significat initium, quo sensu ibidem Segobrigenses dicuntur Celtiberiæ caput, id est, initium.

13. *CÆSAROBRICA* fuit in Lusitania; nam PLINIUS *Lib. IV. cap.* 22. collocavit ibi *Cæsarobricenses* inter stipendiarios. Ea vero quæ de *Cæsarobrica* memoravit JOHANNES TAMAYO DE SALAZAR in *Vita Sancti Epitatii, pag.* 109. 178. & 179. omnino sunt despicienda.

14. *CENTOBRICA*, una fuit ex Celtiberorum urbibus, cujus memoriam nobis conservavit VALERIUS MAXIMUS *Lib. V. cap.* 1. *num.* 5. & ut præclarum humanitatis, & clementiæ exemplum posterorum memoriæ commendavit. Sic enim ait: *Q. vero Metellus Celtibericum in Hispania gerens Bellum, cum urbem Centobricam obsideret, & jam admota machina, partem muri quæ sola convelli poterat, disjecturus videretur, humanitatem propinquæ victoriæ prætulit: nam cum Rethogenis filios, qui ad eum transierant Centobricenses machinæ ictibus objecissent; ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur (quanquam ipse Rethogenes negabat esse impedimento, quominus etiam per exitum sanguinis sui expugnationem perageret) ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto, etsi non unius civitatis mœnia, omnium*

ta-

tamen Celtiberorum urbium animos cepit, effecitque ut ad redigendas eas in ditionem Populi Rom. non multis sibi obsidionibus opus esset. Equidem Q. Metellus Provinciam Hispaniam Consul prius, deinde Proconsul obtinuit, ut ait idem VALERIUS MAXIMUS *Lib. IX. cap. 3. num. 7. juncto Lib. I. cap. I. num. 21.* Itaque Bellum Celtibericum gerere coepit A. Varroniano u. c. DCXI. quo fuit Cos. cum Appio Claudio; & illud finivit A. DCXII. quo Procos. Celtiberos cæcidit, ut ait *Epitome Liviana Lib. LIII. in fine. Quamobrem Belli Celtiberici factum illud memorabile contigit, tempore scilicet quo effecit, ut ad redigendas eas* (urbes Celtibericas) *in deditionem Populi Romani non multis sibi obsidionibus opus esset.* Una ex iis quas obsedit; fuit *Contebria*, ut docet VALERIUS MAXIMUS *Lib. II. cap. 7. num. 10.* & *Lib. VII. cap. 4. num. 5.* adjuncto VELLEJO PATERCULO, *Lib. II. cap. 5. Centobrica* igitur non fuit *Contebria*; imo neque *Nertobriga*, ut MORALES *Lib. VII. cap. 51. fol. 118. pag. 1.* conjectari voluit ex FLORO *Lib. II. cap. 17.* ubi ita legimus: *Metellus ille, cui ex Macedonia cognomen, meruerat & ex Celtiberia ferre, qui & Contrebiam, & Nertobriges memorabili cepisset exemplo, majori gloria pepercit.*

15. *CONIMBRICA* secundum PLIN. sita est in Lusitania, *Lib. IV. cap. 21.* Hanc ANTONINI *Itinerar. in itinere ab Olisipone Bracarau-*

gu-

gustam, vocat *Conembricam*. PHLEGON TRALLIANUS in *Longævis*, *Conimbrigesiam urbem*. IDACIUS in *Chronico* a Sirmondo edito, *pag*. 43. antiquum retinuit nomen *Conimbricam*. Ex hujus ruinis ædificata dicitur urbs, quæ hodie dicitur *Coimbra*, quæ in *Chronico Conimbricensi*, & in monumentis sæculi X. & XI. vocatur *Colimbria*. EMMANUEL PEREIRA DA SILVA LEAL in *Memoriis ad Historiam Ecclesiasticam Episcopatus Guardiæ*, *Parte* 1. *tit*. 1. *cap*. 8. *pag*. 75. ait hodie conservari priscæ Conimbricæ ruinas in loco qui dicitur, *Condeixa velha*. LUDOVICUS MURATORIUS, *Tomo* II. *Thesauri Inscriptionum*, *pag*. 1040. *num*. 4. & *pag*. 1160. *num*. 2. duas affert Inscriptiones, quæ *Conimbricæ* repertæ dicuntur; sed hujus scribendi generis periti judicabunt, an confictæ fuerint ab homunculo aliquo ludibundo, & illusore.

16. *IERABRICA* memoratur ab ANTONINO in *secundo itinere ab Olisipone Emeritam*, & *in itinere ab Olisipone Bracaram Augustam*. RESENDIUS voluit esse *Alenquer*. JACOBUS MŒNETIUS VASCONCELLOS ad *Librum* I. *Resendii de Antiquit. Lusitaniæ*, *pag*. 256. *Povos*. RESENDIUM laudavit JOHANNES VASÆUS *Chronicor. Hispaniæ tom*. I. ad annum 422. ubi refert non inscite putasse Damianum a Gocs *Alanqueram* patriam suam corrupto vocabulo dictam pro *Alankerquam*, hoc est, Alanorum phanum.

Sed hæc conjectura mihi non æque probatur; imo inepta videtur, ut visa etiam MARIANÆ *Lib. V. cap.* 2.

17. *LABRICA.* Unica hujus urbis mentio exstat apud APPIANUM de *Bello Hispaniensi*, ubi D. Bruti res gestas refert: nisi quis velit eandem esse ac *Lambriacam*, de qua ita MELA *Lib. III. cap.* 1. *Flexus ipse Lambriacam urbem amplexus recipit fluvios Laeron*, & *Ullam.* HIERONYMUS CONTADOR DE ARGOTE in *Antiquit. Conventus Bracaraugustani*, *Lib. II. cap.* 12. *pag.* 171. vult esse *Flaviam Lambrim*, quam PTOLEMÆUS memorat *Lib. II. cap.* 6. præeunte VASÆO *ad annum Domini* 49. *fol.* 49. in *Labrionensi Episcopatu*, quem nescio ex quo antiquo monumento eduxerit. Confirmat hoc analogia, cum *Cetobriga* & *Cetobrix* non differant. BRIS autem pro BRIA videtur Phoenicia terminatio, cum apud STEPHANUM BYZANTINUM ita legamus: *Liebris*, *urbs Phœnicum*, *cujus Herodianus meminit. Gentile Liebrita*, *uti Sybarita*, *quo utitur Hecateus in Ægypti Periegesi.* Qua analogia considerata, non male ad hunc censum referri videtur urbs Vaccæorum *Sarabris*, cujus meminit PTOLEMÆUS, *Lib. II. cap.* 6.

18. *LACOBRICA.* Cum duæ fuerint *Lacobricæ*, aut *Lacobrigæ*, nam scripturæ variant; nobis hic distinguendæ sunt. Alteram posuit ANTONINI *Itinerarium* Segisamoni vicinam in *Itinere ab Alpibus Cottiis* *ad*

ad Galletiam, *ad Legionem Septimam Geminam*, & in *Itinere ab Asturica Burdigalam* inter Viminacium Pallantiæ proximum & Segisamonem. Pallantiam omnes sciunt esse *Palencia*, de qua Historiam prolixam quidem, sed bene doctam scripsit Cl. vir Petrus Fernandez del Pulgar. *Segisamo* est hodie *Sesamon*. VIMINACIUM, Lacobriga, Segisama Julia, & Pallantia, civitates fuerunt Vaccæorum, ut docet PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. licet in editione Montfauconiana, male pro *Lacobriga*, *Neoliga* legatur. Pallantinos & Lacobricenses etiam PLINIUS conjunxit *Lib. III. cap.* 3. Quare cum itinera Romana recta essent, facile colligitur ubi sita fuerit Vaccæorum *Lacobrica*. Pergamus ad alteram. PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 5. mentionem fecit *Lacobricæ* sitæ in Turdetania inter Juliam Myrtilem & Pionam. Hæc est *Lacobrica* Antonini in *Itinere ab Olisipone Bracaram Augustam*, & POMPONII MELÆ *Lacobria* sita in Sacro Promontorio, *Lib. III. cap.* 1. In aliquibus exemplaribus *Lacobriga*, ex qua dicti *Lagobritæ*, quos nominavit PLUTARCHUS in *Sertorio*, *pag.* 318.

19. Nihil refert ad utram *Lacobrigam* referatur nummus apud GOLTZIUM, *pag.* 244. quem memoravit HARDUINUS in *Nummis antiquis*, *pag.* 153. Fictus enim est, utpote Galbæ nomen præferens, cum certum sit post extinctum Caligulam nullos in Hi-

Hispania Imperiales nummos excussos fuisse, ut post Vaillantium admonuit EMMANUEL MARTINUS, *epist.* II. *Lib.* III.

20. *MONOBRICA* a me nullo modo memoraretur, nisi interesset scire oppidum esse chimericum. Ut ejus existentia crederetur, ficta fuit Inscriptio, quam ut suspectam edidit MORALES *Lib.* IX. *cap.* 35. *fol.* 299. *litt.* D. Occo *pag.* 25. *num.* 8. & GRUTERUS inter *spuria* recensuit, *pag.* 9. *num.* 8. ubi admonuit Inscriptionem deberi STRADÆ, e cujus penu antiquaria multæ merces fictitiæ prodierunt. Hæc Incriptio ficta fuit ut *Munebrega*, Regni Aragonum oppidum, & patria Michaëlis Martinez del Villar, ut Nicolaus Antonius refert, antiqua fuisse crederetur. Personatus Dexter assuetus rebus falsis auctoritatem dare, nova mendacia superaddens, Christianam palmam dedit S. Demetrio Martyri *Munobricæ* in Celtiberia, ut videre est apud CARUM in *Notis ad Dextrum*, *fol.* 102. *pag.* 2. & BIVARIUM, *fol.* 327. & 330. Solet autem Dexter litterulam immutare, ut Criticis emendandi occasionem præbeat. Ex dictis apparet, verum esse quod alibi admonui, Abrahamum Ortelium allegantem Carolum Clusium ad comprobandas Hispaniæ Antiquitates, non aliud habere fundamentum, quam Inscriptiones fictas, ut hoc novo exemplo ostendi potest in *Synomymia Geographica* v. *Monobrica*. Et vero si præcedens Incriptio con-

conferatur cum alia quam edidit GRUTERUS *pag.* 404. *num.* 4. ex *Schotti schedis*, quæ etiam suspectæ esse solent, manus impostoris eadem esse videbitur: & ubi Inscriptio habet *Rhodenses*, dicere debebat *Rhodopenses*. Præterea idem GRUTERUS *pag.* 694. *num.* 8. in alia Inscriptione ejusdem urbis eundem STRADAM allegavit: & Inscriptio illa eadem est ac repetita *pag.* 692. *n.* 10. æque ficta.

21. *TALABRICA* oppidum collocatur a PLINIO *Lib. IV. cap.* 21. in Lusitania, & a PTOLEMÆO etiam *Lib. II. cap.* 5. ubi *Talabriga* recensetur inter Concordiam & Rusticanam. Antonini *Itinerarium* eam nominavit in *itinere ab Olisipone Bracaram Augustam* inter Eminium hodie *Agueda*, & Langobricam, nunc *Feira*, ut vult JACOBUS MOENETIUS VASCONCELLUS ad RESENDII *Antiq. Lusit. Lib. I. pag.* 257. ubi *Talabricam* dixit esse *Aveiro*: quod fortasse a veritate non procul abest. Error autem est notissimus, *Talabricam* esse *Talaveram*, ut suadere voluit ALVARUS GOMEZIUS DE CASTRO *de rebus gestis Francisci Ximenii Lib. V. fol.* 140. *pag.* 2. contradicente MORALE *Lib. X. cap.* 12. *fol.* 361. *litt. c.* ubi ait *de Talaveræ nomine antiquo nihil veri excogitatum esse*. Certe Geographus Nubiensis jam memoravit eam hoc nomine. Sed neque est *Talaveruela* sita etiam in Lusitania, ut scripsit PETRUS ALCOCERUS *Lib. I.*

cap. 51. *fol.* 45. *col.* 2. JOHANNES MARIANA Talaberæ natus *Lib. I. cap.* 4. ait *Liboram* esse *Talaveram* : & *Lib. IV. cap.* 13. multa disputans secundum vulgi opinionem, ait *Liboram* esse *Elboram* , & Livii *Eburam.* Atque in eleganti eprigrammate de se ipso, quod *Scholiis in vetus Testamentum*, præmisit, patriam suam *Talaveram* vocavit *Elboram.* Sed nulla probabili ratione.

22. HARDUINUS in *Nummis antiquis* facilitate qua solet, exhibuit nummum e Goltzii *Thesauro* , *pag.* 244. repræsentantem *Talabrigam* ut Municipium sub Galba, cum solummodo oppidum fuerit, ut ex PLINIO didicimus. Fidem huic nummo denegavit HEINECCIUS in *appendice Lib. I. Antiq. Romanar. cap.* 1. *num.* 14. & apertius antea EMMANUEL MARTINUS *epist.* 11. *Lib. III.*

23. Inscriptiones quas edidit LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS *Tomo II. Novi Thesauri veter. Inscript. pag.* 1083. *n.* 9. & *Tom. III. pag.* 1631. *num.* 12. quæ repetita est *pag.* 1641. nihili facio ob monstrosas lectiones.

24. Cohortis Talabricensis meminit inscriptus lapis, quem edidit BERNARDUS BRITO *Lib. V. Monarchiæ Lusitanæ*, *cap.* 22. *pag.* 519. & ex eo EMMANUEL PEREIRA DA SILVA LEAL in *Monumentis ad Historiam Ecclesiasticam Episcopatus Guardiensis*, *Parte I. Lib. I. cap.* 1. *pag.* 29. Sed Britonis ingenium optime norunt eruditi :

nam

nam homo ille assuetus fuit non solum monumenta, sed etiam auctores inauditos fingere, ut non immerito doctus, & facetus vir, qui latere voluit sub nomine AMATORIS PATRICII, scripserit in eum *Historiam Antiquitatum Eborensium*, ut monstrosis, & ridiculis fictionibus ejus ingenium repræsentaret.

25. *TUROBRICA* invenitur apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 1. qui collocavit eam in Celtica. RUDERICUS CARUS *Lib. III. cap.* 60. *fol.* 185. ob soni similitudinem vult esse *Turon.*

26. Jam dixi supra, multa oppidorum nomina desinentia in BRICA, non raro etiam desinere in BRIGA, præsertim apud Græcos, & etiam in nummis, & inscriptionibus. Agamus nunc de terminatis in BRIGA prout sunt sequentia.

27. *AOBRIGA* suum amisit nomen; sed facile colligitur ex gentili *Aobrigenses*, quod occurrit in Inscriptione reperta ad *Aquas Flavias* (hodie *Chaves*) quam evulgarunt JOHANNES VASÆUS in *Chronicorum Hispaniæ Tomo I. ad annum Christi* 106. ALDUS MANUTIUS in *Orthographiæ Ratione*, *pag.* 78. SMETIUS *fol.* 52. *num.* 4. RESENDIUS *Lib. I. Antiquit. Lusitan. pag.* 52. OCCO *pag.* 20. *num.* 5. GRUTERUS *pag.* 245. *num.* 2. NONIUS in *Hispania*, *cap.* 57 HIERONYMUS CONTADOR DE ARGOTE in *Antiquitat. Conventus Bracaraugustani*

Lib. II. *cap.* 3. *pag.* 107. & in *Monumentis ad Historiam Ecclesiasticam Archiepiscopatus Bracaraugustani*, *Lib.* II. *cap.* 5. *fol.* 303. AMBROSIUS autem MORALES *Lib.* IX. *cap.* 25. *fol.* 278. per errorem scripsit *Aorbigens*. Quod cum non animadvertisset HIACYNTUS ARIAS DE QUINTANADUEÑAS in *Antiquitatibus Alcantaræ*, *Lib.* I. *cap.* 12. *fol.* 64. *pag.* 2. *Aorbigenses*, qui nusquam fuerunt, credidit esse *Arabrigenses* memoratos in Inscriptione Pontis Alcantaræ, errorem errori superaddens.

28. *ARABRIGA* posita est a PTOLEMÆO *Lib.* II. *cap.* 5. in Lusitania. PLINIUS *Lib.* IV. *cap*, 22. inter stipendiarios nominavit *Arabricenses*, quorum memoria exstat apud FRONTINUM *Lib.* IV. *Stratagem. cap.* 5. *num.* 19. secundum editionem TENNULII. PLINII, & FRONTINI lectioni favet Inscriptio apud CARUM *Lib.* III. *cap.* 6. *fol.* 94. *col.* 2. qui ait, *Arabrigam* esse vicum nominatum *el Gallego*. Sed iidem incolæ vocantur *Arabrigenses* in Pontis Alcantaræ Inscriptione, apud MORALEM *Lib.* IX. *cap.* 28. *fol.* 285. *litt.* E. & GRUTERUM, *pag.* 162. *num* 3.

29. In GOLTZII *Thesauro*, *pag.* 242. invenitur C. Cæsaris nummus, ubi mentio fit *Arabricæ Municipii*; eumque Harduinus ut probam antiquitatis monetam, recipi voluit. Sed est certe adulterina. Vide HEINECCIUM in *appendice Antiquit. Lib.* I. *cap.* I.

num.

num. 15. & EMMANUELEM MARTINUM *epist.* II. *Lib.* III.

30. *ARCOBRIGA.* Quadrupliciter hoc nomen accipi potest; ideoque ejus significationes diligenter a nobis distingui debent: duæ scilicet veræ, ac totidem falsæ. Aut enim *Arcobriga* vere significat oppidum Celtiberiæ, aut Lusitaniæ: aut falso significat *Arcos*, aut *Ercavicam*, quam corrupte nominant *Arcobricam.*

31. Alia igitur *Arcobriga* sita fuit in Celtiberia, quam PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. prope Bilbilim constituit; & Antonini *Itinerarium in duobus itineribus ab Emerita Cæsaraugustam* significavit, esse proximam Aquis Bilbilitanorum, id est, *a los Baños de Alhama*, uti docent HIERONYMUS ZURITA *Lib. I. Annal. cap.* 42. *fol.* 29. *pag.* 2. BERNARDUS ALDRETE in *Antiquit. Hispaniæ, Lib. II. cap.* 2. *pag.* 213. & FRANCISCUS FERNANDEZIUS DE CORDOVA in *Didascalia cap.* 48. *pag.* 389. Fuerunt autem *Arcobricenses* Conventus Cæsaraugustani, docente PLINIO *Lib. III. cap.* 3. GEORGIUS GRÆVIUS apud Frontinum *Lib. IV. cap.* 5. *num.* 22. in ibi controversa lectione legi voluit *Arcobrigenses* nulla probabili conjectura. SAMUEL TENNULIUS legit *Segobrigenses*; sed cum hic ipse Regium codicem alleget ubi scriptum erat *Egovienses*; proxima & melior lectio videtur *Ergavicenses*, cujus nominis in Hispania duo populi fuerunt.

32.

32. Altera *Arcobriga* sita fuit in Lusitania inter populos Celticos, ut refert PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 5. Ad hanc *Arcobrigam* verisimilius ob proximitatem pertinet Inscriptio, quam LUDOVICUS MURATORIUS *tomo IV. Novi Thesauri veter. Inscriptionum*, *pag.* 2049. *num.* 2. parum accurate descripsit ex HIERONYMO CONTADOR DE ARGOTE, qui eam edidit in *Antiquitatibus Conventus Bracaraugustani*, *Lib. II. cap.* 1. *pag.* 75. & elegantius in *Monumentis Episcopatus Bracaraugustani Lib. II. cap.* 2. *pag.* 261.

33. Significationibus ita distinctis, de *Arcobrigarum* situ disputemus; falsasque opiniones rejiciamus. AMBROSIUS MORALES *Lib. IX. cap.* 28. *fol.* 287. *litt.* D. ait *Arcobrigam* esse *Arcos* in ingressu Regni Aragonum: non ob aliam caussam, ut videtur, nisi ob sonorum similitudinem, quæ proculdubio hic fallit. MORALEM sequuti sunt GARSIAS LOAISA in *Collectione Conciliorum Hispaniæ*, *pag.* 148. GASPAR ESCOLANUS *Lib. VIII. Historiæ Regni Valentiæ*, *cap.* 13. *num.* 5. RUDERICUS CARUS *Lib. III. Antiquit. Hispalensium*, *cap.* 60. *fol.* 385. *col.* 3.

34. Refellamus aliam opinionem. In Celtiberia fuit olim *Ergavia*, nobilis, & potens civitas prope montem Caunum (nunc Moncayo) cujus meminit LIVIUS *Lib. XL. cap.* 50. & PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. per-

pertinuitque ad Conventum Cæsaraugustanum, teste PLINIO *Lib. III. cap.* 3. ad quam spectat Inscriptio apud GRUTERUM, *pag.* 382. *num.* 9. & antiqui nummi, ex quibus constat oppidum fuisse appellatum *Ercavicam*, non *Ercaviam*, neque *Ergavicam*: de quo videri potest MORALES in *Antiquit. fol.* 103. & DIAGO in *Annal. Regni Valentiæ Lib. V. cap.* 15. *fol.* 220. *col.* 1. Urbs fuit Episcopalis, cujus Episcopus fuit Petrus, qui in Concilio Toletano III. celebrato Era DCXXVIII. ita subscripsit: *Petrus Arcavicensis Celtiberiæ Episcopus subscripsi.* Ubi mentio fit Celtiberiæ, ut scilicet Celtiberica Ercavica distinguatur ab altera Vasconum. Postea nescio quomodo factum fuit, ut Ercavica dici coeperit *Arcabrica*, ut constat ex Concilio Toletano XVI. habito Era DCCXXXII. ubi subscripsit: *Gabinus Arcabricæ Ecclesiæ Episcopus.* Hæc cum ita se haberent, cum *Ercavicæ* nomen in *Arcabricam* mutatum fuerit; contigit postea ut existimaretur Albarracinum situm fuisse in Arcobricensi dioecesi, hoc est, Ercavicensi: ideo cum ageretur de Albarracinensi Sede erigenda, ei noviter erectæ datum fuit nomen titulusque, *Arcabricensis*: quo nomine relicto, cum denuo nomen titulumque accepisset ab urbe *Segorve*, quæ falso credebatur *Segobriga*, dici coepit *Segobricensis*: atque Lucius tertius Sedis Arcabricensis nomen titulumque transtu-

tulit in Concham. An quia prope eam est *Arcas*? ita quidem LOAISA *pag.* 148. cujus opinionem sequuntur FRANCISCUS PADILLA in *Catalogo Episcoporum fol.* 36. MARTINUS CARRILLO in *Historia Sancti Valerii Episcopi Cæsaraugustani*, *pag.* 354. & FRANCISCUS DE VILLAGRASSA in *Antiquit. Ecclesiæ Segorbiensis*, *pag.* 5. & 6. quod refellit ESCOLANUS *Lib.* VIII. *Histor. Valentiæ*, *cap.* 13. *num.* 6. & DIAGO *Lib.* V. *cap.* 15. *fol.* 218. Sed quid commune habet *Arcas* cum *Arcabrica*, si pro *Arcabrica* intelligitur *Ercavica*? Quid cum ipsa *Arcobriga* sita prope Bilbilim?

35. Cum igitur Celtiberica *Arcobriga*, neque sit *Arcos*, neque *Arcas*; videamus an sit *Hariza*? ita probabiliter existimavit HIERONYMUS ZURITA in *Annal. Lib.* I. *cap.* 42. *fol.* 29. *col.* 2. De *Harizæ* autem nomine minime assentio eruditissimo ANTONIO AUGUSTINO, qui in *epistola ad Zuritam* quæ legitur apud DORMERUM in *Progressibus Historiæ Regni Aragonum*, *pag.* 389. *col.* 1. derivavit illud a Mauro *Hariz*. Sed præfero opinionem PETRI ALCALÆ in *Vocabulista*, verbo *guarda*, & SEBASTIANI COVARRUBIÆ in *Thesauro linguæ Hispanæ*, verbo *Hariza*, existimantium *Hariz* significare apud Arabes *Custodiam*. Quanquam quod ibidem adjungit COVARRUBIAS *de Diribitorio*, falsum existimo, cum *Hariza* sit antiquior diribitoriorum custodiis.

Il-

Illud dubitationem non admittit, falsum esse quod a CLUSIO ORTELIUS accepit, legiturque in *Synonymia Geographica*, in voce *Arci*, *Harizam* olim nominatam fuisse *Arci*, uti constare crediderat CLUSIUS ex antiqua Inscriptione ibi reperta. Nam Hispanienses Clusii Inscriptiones nemo vidit, ut observari potest in vocibus Accitum, Arevacæ, Aruci, Arunda, Ausa, Bigerra, Capara, Castra Vicelliana, Ecelesta, Marcia, Monobrica, Turiaso, Vallata, Uxena, aliisque. JOHANNES MARIANA *Lib. XXI. cap. I.* CLUSII opinionem sequens, addidit, *Arci* situm fuisse in Arevacis. Sed si ibi situm fuit *Hariza*, non potuit esse *Arcobrica* in Celtiberia sita. Verum pergamus.

36. Aliqui recentes scriptores nova nomina cum antiquis confuderunt ob sonorum similitudinem, dixeruntque, urbem *Arcos* esse antiquam *Arcobrigam*. Præivit Antonius Nebrissensis, si ejus est *Lexicon Geographicum*, quod ejusdem nomine circumfertur. Veruntamen JOHANNES VASÆUS in *Catalogo Episcopatuum Hispaniæ*, *fol.* 45. *pag.* 2. v. *Bastitanus*, indicavit, *Lexicon* illud esse filii Antonii Nebrissensis. Sed editio Dictionarii, quod prodiit in lucem Antiquariæ in ædibus Antonii Nebrissensis, anno 1581. tribuit Dictionarium vulgarium appellationum Antonii Nebrisensis nepoti, quod ad id quo de agimus, parum interest. Ut ut autem sit, ibi legitur, *Arcobricam* esse

Ar-

Arcos, & hanc opinionem sequutus est JOHANNES BELLERUS in *Onomastico*.

37. FLORIANUS DO CAMPO, qui *Lib. II. cap.* 27. Nebrissensis discipulum se fuisse gloriatur, asserit *Lib. I. cap.* 7. *fol.* 25. *pag.* 2. *in Vandalusia permanere villam Arcos, quæ vocata fuit Arcobriga.* Atque eò Campensis progressus est, ut errorem hunc alio majori, imo mendacio manifesto incrustaverit *Lib. II. cap.* 24. *fol.* 103. ubi de chimerica urbe *Turdeto* ita scripsit: *Hæc* (urbs Turdetum) *secundum indicia, quæ de ejus situ refert Julianus Diaconus, solebat esse* (sic) *omni tempore quo illic perseveravit in medio viæ, quæ erat inter duas villas suo ævo Cæsarianum, & Arcobrigam, quæ hodie certo sunt Xerez de la Frontera, & Arcos.* De Juliani scriptis a Floriano laudatis hæc memoriæ prodidit AMBROSIUS MORALES *Lib. XIII. cap* 7. *fol.* 14. *pag.* 2. *Quod de hoc dicere scio, est, multos Floriani amicos concupiisse videre hunc librum, & nunquam nobis ostendisse eum: neque postea apparuit; imo in ejus chartis inveni sufficientia signa indicantia, nunquam fuisse talem librum.* Sed tamen cum Campensis hæc finxerit auctoritate Juliani Diaconi; in errorem suum pertraxit eruditissimum virum DIDACUM HURTADO DE MENDOZA *Lib. IV. de Bello Granatensi, num* 9. & eloquentissimum virum JOHANNEM MARIANAM *Lib. I. de Rebus Hispaniæ, cap.* 18.

&

& *Lib.* XIII. *cap.* 11. MARIANAM vero non est quod miremur : nam in rebus , quæ ante Romanorum in Hispaniam adventum contigerunt, ducem habuit Campensem ; & in Romanis, & Gothicis, MORALEM ; in subsequentibus , GARIBAJUM , & ZURITAM.

38. Sed quoniam egimus jam de iis quæ memoriæ tradita sunt in libris scriptis ; videamus quæ leguntur in lapidibus inscriptis. AMBROS. MOR. *Lib.* IX. *cap.* 28. *fol.* 287. *litt.* D. Inscriptionem edidit , quæ secundum narrationem Cyriaci Anconitani , & aliorum inventa fuit *in Villa Arcos in ingressu Aragonum.* Quam Inscriptionem incertam esse , & ex numero earum , de quibus dubium est , an unquam exstiterint , admonuit idem MORALES : sed eam , ac si ibi exstaret , memoravit Occo *pag.* 1. *n.* 2. GRUTERUS autem , qui ait , se habuisse illam *e Schotti Schedis* , inter *spuria* , *ac supposititia* recensuit , *pag.* 4. *num.* 5. sicut & aliam ejusdem manus , *num.* 4. quam habuit *ex Strada.* Eruditi optime sciunt quæ fides debeatur hujusmodi testibus. Itaque si observemus primam illius lapidis inscripti notitiam dimanasse a Cyriaco Anconitano , cujus Antiquitatum partem typis ediderunt in Germania PETRUS APPIANUS, & BARTHOLOM. AMANTIUS anno a Christo nato 1534. animadvertemus originem opinionis qua de agimus , *Arcos* esse *Arcobrigam* , a Cyria-

co

co natam, vel ab aliquo qui ei imposuit. Et vero infrequentes non sunt hujusmodi Italorum fictiones, præsertim eo tempore, quo ob eruditorum paucitatem, & nondum satis sagacem observationem licentius aliqui homines vanissimi, & imprudentissimi mentiri poterant. De quo adiri potest EVERARDUS OTTO in *Vita Servii Sulpicii*, *cap.* II. *num.* 26. & in *Vita Papiniani*, *cap.* 2. *num.* I. Cum igitur, neque Scriptores, neque Incriptiones urbi *Arcos* faveant; videamus quid probabilius dici possit.

39. Hispali reperta fuit insignis Inscriptio, quam, antequam iterum cooperiretur, descripserunt homines docti, a quibus exemplar nactus fuit AMBROSIUS MORALES, ut ipse testatur in *Additamentis*, quæ præmisit *tomo* I. agens *de adjungendis ad fol.* 306. Eandem Inscriptionem ediderunt ALFONSUS MORGADO *Lib.* IV. *Hist. Hispal. cap.* I. RUDERICUS CARUS *Lib.* I. *Antiquit. Hispal. cap* 10. *fol.* 18. & plenius *Lib.* III. *cap.* 32. *fol.* 135. in *Notis ad Dextri Chronicon*, *ad annum Christi* 115. *fol.* 64. & LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS *Tomo* II. *Novi Thesauri veterum Inscriptionum*, *pag.* 1099. Sed quoniam CARUS existimat, *hanc Inscriptionem habere res minime tritas, neque vulgares, & ob suam singularitatem obligare ad majorem animi attentionem*; & MURATORIUS ait: *His lucem dabunt eruditi Hispani*; age lampada accen-

cendamus, tradamusque hanc hominibus eruditis. Verum in rebus notissimis non immoremur. Et quoniam MORALIS exemplar cæteris antiquius est, & a viris doctis emanavit, illud reliquis omnibus præferamus.

40. Inscriptio igitur sic se habet:

SEX. JVL'O. SEX. F. QVIR. POSSESSOR
PRAEF. COH. III. GALLOR. PRAEPOSITO NVME
RI. SYROR. SAGITTARIOR. ITEM ALAE PRIMAE HISPA
NOR. CVRATORI. CIVITATIS ROMVLENSIVM. M. AR
VENSIVM. TRIBVNO. XII. L. FVLMINATR.
CVRATORI. COLONIAE. ARCENSIVM ADIECTO
IN DECVRIAS AB OPTIMIS MAXIMISQVE
IMP. ANTONINO ET VERO AVGG. ADIV
TORI ////// ANTONINI PRAEF. ANNON.
AD OTIVM ///// HISPANVM. RECEN
SENTVM. ITEM SOLAMINA TRANSFE
RENDA. ITEM. VECTVRAS NAVCVLA
RIIS EXOLVENDAS. PROC. AVGG. AD
RIPAM BAETIS. SCAPHARII HISPALEN
SES. OB INNOCENTIAM. IVSTITIAM
QVE EIVS SINGVLAREM.

CARUS *Lib.* I. *cap.* 22. *fol.* 38. *col.* I. ait hujus Sex. Julii fieri mentionem in nummo Hispalensi, cujus ectypum ipse exhibuit eodem *cap.* 22. *fol.* 35. *col.* 4. Sed nummus ille, quem ego habeo, non est Sex. Julii

H Pos-

Possessoris, ad quem pertinet Inscriptio; sed C. Vari Rufi, & Sex. Julii Pollionis Duumvirorum Quinquennalium. Ille vixit Antonini tempore; hic, Augusti, cujus etiam fit mentio in lapide Carthaginiensi apud MURATORIUM *tom. II. pag.* 734. *num.* 4. Et nummus ille non est Hispali cusus, sed Carthagine Nova, quæ urbs, Italica, & Ilici solum habuerunt Duumviros Quinquennales; de quibus vide lapidem inscriptum, qui ordine quintus est apud FRANCISCUM CASCALEM in *Discursu Carthaginis Novæ*, & apud GRUTERUM, *pag.* 168. *num.* 2. ubi pro AVG. legi debet IIV. uti legitur in alio lapide apud REINESIUM *classi III. num.* 70. & in duobus nummis quos edidit SIGEBERTUS HAVERCAMPUS in *Notis ad Fragmenta Lib. II. Historiarum Sallustii*, *pag.* 51. Quibus adde aliud numisma Carthaginiense etiam, quod inter incerta numeravit VAILLANTIUS in *Prima Parte Coloniarum*, *pag.* 5. sed immerito, & quidem plurimas ob caussas. 1. Quia Duumviri Quinquennales aut ad Ilici, aut ad Italicam, aut denique ad Carthaginem Novam referuntur. 2. Quia nummus pertinet ad Coloniam Juliam, ut profecto fuit Carthago Nova. 3. Quia unus ex Duumviris est C. Julius, ex eadem gente, qua Sextus. 4. Quia alter ex Quatuorviris est C. Aq. id est. C. Aquinius, ut arguitur ex Inscriptione Carthaginiensi apud REINESIUM *Classi XVII. num.* 15.

non

non vero Aquilius, ut existimavit Vaillantius. 5. Quia urbis nomen non exprimitur, ut in nummis allatis ad HAVERCAMPO & CARO.

41. Sed redeamus ad nostram Inscriptionem. Sex. Julius Possessor fuit ex Tribu Quirina, quæ fuit Rustica, & Urbanis laudatior teste PLINIO *Lib. XVIII. cap. 3.* juncto VARRONE de *Populo Romano* in *Præfatione.* Illud omittendum non est, huic Tribui attributas fuisse Insulas Baliares, approbante id Inscriptione apud GRUTERUM *pag.* 387. *num.* 1. *pag.* 324. *num.* 4. quæ pertinet ad Tribum Velinam Quirinæ unitam, *pag.* 1093. *num.* 4. *pag.* 1096. *num.* 7. *pag.* 434. *num.* 3. & ibi GRUTERUS in *Corrigendis.*

42. Sex. Julius Possessor fuit Curator Civitatis Romulensium, id est, Concilii coetusque Romulensium, jure sociati, hoc enim modo Civitatem definivit CICERO *cap.* 3. in *Somnium Scipionis*, in *Orat. pro Sextio cap.* 42. & *Paradoxo IV.* atque a C. Cæsare Civitatis nomen intelligitur in *Commentariis de Bello Gallico*, cum loquitur de Æduorum, Aruernorum, Bellovacorum, Rhemorum, aliorumque similium Civitatibus, sive certarum gentium congregationibus, quæ distinctæ sunt ab oppidis, & urbibus, ut Romulensium Civitas a Civitate Romula. Ideoque Civitas Romulensis idem est ac Respublica in hac Inscriptione.

43. In eadem Inscriptione illud est notandum, conservari nomen antiquum *Hispalis*, & recentius, *Romulam*: cumque huic non addatur cognomen *Julia*, quo ea urbs gloriari deberet; proculdubio eo caruit, licet contrarium asseruerit B. ISIDORUS *Etymol. Lib. XV. cap.* I. *pag.* 287. *col.* I. Illud vero prætereundum non est LUDOVICUM ANTONIUM MURATORIUM *tomo II. Novi Thesauri veter. Inscript. pag.* 736. *n.* 5. litteras illas singulares C. C. R. interpretatum fuisse, *Coloniam Claudiam*, aut *Cæsaream Romulensem*. Præterea ibi idem MURATORIUS ex duabus Inscriptionibus unam confecit, ut videre est apud CARUM *Lib. I. cap.* 10. *fol.* 16. *&* 19.

44. MORALIS, & CARI transcriptiones habent M. (id est, *Municipii*) *Arvensium*, quod alio nomine vocabatur *Municipium Flavium Arvense*, ut videre est in Inscriptione apud MORALEM in *Antiq. fol.* 99. *litt.* C. *& Lib. IX. cap.* 25. & est hodie *Alcolea*, ut idem ait *Lib. IX. cap.* 25. *fol.* 279. MURATORIUS nescio quid ait de *Arianis montibus*, & oppido ibi memorato a PLINIO. *Arenas* montes scio a PLINIO memorari *Lib. III. cap.* I. sed quid Graculo cum fidibus? Enim vero ANTONINUS *in itinere ab Ostio fluminis Anæ Emeritam usque*, memorat *Montem Marianum*, qui huc minime pertinet, licet MURATORIUS fluctuans eum referat. Male igitur apud MURATORIUM *tom. II. pag.*

pag. 1099. *num*. 6. conjunctim legitur *Maurentium*. Nam licet apud TACITUM *Historiar. Lib. I. cap*. 78. legamus, Othonem Hispalensibus familiarum adjectiones, & Provinciæ Bæticæ Maurorum Civitates dono dedisse; certum est, Inscriptionem nostram ad hoc postremum non esse referendam.

45. Fuit etiam Julius Possessor Tribunus XII. Legionis Fulminatricis, de qua insigne miraculum narraverunt TERTULLIAN. in *Apologia*, *cap*. 6. EUSEB. CÆSARIEN. in *Chronico ad annum* 176. & in *Historia Ecclesiastica Lib. V. cap*. 5. NICEPHORUS CALLISTI *Lib. IV. cap*. 12. & OROS. *Lib. VII. cap*. 15. sed notari debet, Legionem illam non ex eo tempore coepisse dici *Fulminatricem*, cum antea jam hoc nomen haberet, tempore scilicet Trajani, ut Tergestina Inscriptio docet, cui addi potest DIO *Lib. LV*.

46. Fuit etiam Sex. Julius Possessor Curator Coloniæ Arcensium: quæ falsa lectione *Ariensium* dicitur apud MURATORIUM, qui dubitat an legi debeat *Astensium*, quia in æstuariis Bætis fuit Asta, Romanorum Colonia. Sed licet MORALIS lectio Coloniam denotet, cujus nomen aliunde non constat, non est ei deneganda fides: & merito ille conjecit in memoratis *Additamentis*, esse urbem *Arcos*, quæ proculdubio ab *Arcobriga* distincta est. Illud vero MURATORIO libens concesserim, melius legi ADLECTO IN DECVRIAS, ut apud GRUTE-

RUM, *pag.* 458. *n.* 6. quàm ADIECTO. Cum pes litteræ L. facile potuerit evanescere:

47. Imperatores Antoninus & Verus Augusti sunt M. Aurelius Antoninus, & Ælius Verus, quia Antoninus Vero præponitur.

48. AMBROSIUS MORALES agens de verbis illis interpretandis, *ad otium Hispanum recensentum*, ait *Otium* esse librum in quo descriptæ erant Provinciæ, earundem regimen, & tributa. Vellem hoc aliquo testimonio confirmasset. Ego conjicio ita legendum esse: *ad otium militare recensendum*: Præterea *solamina transferenda* interpretor salaria, quæ *solatia* etiam dici solent.

49. Dicitur etiam Sex. Julius *Procurator Augustorum ad Ripas Bætis*, ad similitudinem Curatoris alvei, & riparum Tiberis, quem instituit Augustus teste SUETONIO, *cap.* 37. atque hic est Procurator Augusti per Bæticam, cujus meminit Inscriptio apud CARUM *Lib. I. cap.* 22. *fol.* 39. ex qua, & ex versiculo nostræ Inscriptionis, unam tantum conflavit MURATORIUS *tomo II. Novi Thesauri veter. Inscript. pag.* 1050. *num.* 3. ubi pro *Magniano* legi debet *Magoniano*, uti legitur apud GRUTERUM, *pag.* 434. *num.* 3. *&* *pag.* 1093. *num.* 4. Neque mirum est, Bætim habuisse suum Procuratorem, cum eo tempore navigaretur ad Cordubam usque, ut bis refert STRABO *Lib. III. pag.* 97. & PLINIUS *Lib. III. cap.* 1. atque hodie visitur magnifi-

ficus Ilipæ portus, cujus meminit MORALES in *Antiquit. fol.* 89. *litt.* E.

50. Scapharii Hispalenses hunc lapidem dedicarunt Imperatoribus Antonino & Vero, M. Aurelio Vero, & Ælio Antonino, Coss. II. quemadmodum etiam alium anno æræ Christianæ CLXI. relatum a CARO teste oculato, *Lib. I. cap.* I. *fol.* 3. *cap.* 9. *fol.* 13. *& cap.* 22. *fol.* 37.

51. Et vero Scapharii hanc Inscriptionem dedicarunt Sex. Julio Possessori, *ob innocentiam justitiamque ejus singularem.* Licet autem CARUS verbum illud *justitiam*, omiserit *fol.* 37. & in *Notis ad Dextrum*, *fol.* 64. illud tamen expressit in *Antiquit. Hispalensibus*, *fol.* 18. & 135.: ad similitudinem autem nostræ Inscriptionis conficta est illa, quam MURATORIUS refert *tom. II. Novi Thesauri veter. Inscript. pag.* 1076. *num.* 6.

52. *ARIOBRIGA* memoratur a Lud. ANT. MURAT. *Tomo I. Novi Thesauri veter. Inscript. pag.* 224. *num.* 7. sed tam hoc oppidi nomen, quam Inscriptio ibi allata ex schedis P. Cattanei, manifeste conficta sunt.

53. *AUGUSTOBRIGA* eadem est atque *Augustobrica*, de qua supra egimus. Nunc autem de ipsamet diligentius tractemus. Hoc nomen olim habuerunt tria oppida, ut acute observavit eruditissimus PETRUS RHUA, *epist.* 3. adversus Antonium

Guevaram, Episcopum Mindoniensem, *fol.* 88.

54. Unam earum collocavit PLINIUS in Lusitania *Lib. IV. cap.* 22. & expressius PTOLEMÆUS *Lib.II.cap.*5.prope Salmanticam in Vettonibus, qui Lusitaniæ populi erant.

55. Secundam posuit PTOLEMÆUS in Pelendonibus, *Lib. II. cap.* 6. cujus ruinæ visuntur in oppido *Muro* VIII. M. P. supra urbem Agredam, ut observavit ZURITA in *Annalib. Lib. I. cap.* 42. *fol.* 29. *pag.* 2. & in *Commentario* ad ANTONINI *Itinerarium* v. *Augustobriga in itinere ab Asturica per Cantabriam Cæsaraugusta.* RHUA sitam esse dixit in Celtiberia, quæ continebat Pelendones teste PLINIO, *Lib. III. cap.* 3. Quod attinet ad situm, suffragatur MORALES, *Lib. IX. cap.* 28. *litt.* F. aliter sentiens, ac *Lib. VIII. cap.* 60. *fol.* 206. *litt.* E. ubi *Augustobrigam* collocavit proximam Numantiæ, & Burgis prope Guadalupum in descensu illorum montium, ubi nunc est *Villar del Pedroso*: quam falsam conjecturam arripuit CARUS: & perinde quasi idem esset *Villar del Pedroso* ac *Villa de Pedroso*, Hispali distans decem leucas, ad hanc transtulit *Augustobrigam*, *Lib. III. Chorographiæ Conventus Juridici Hispalensis*, *cap.* 71. *fol.* 198. *col.* 4.

56. Illud omittendum non est, lapidem inscriptum, a ZURITA editum *laudato loco*, mentionem facere Trajani Consulis III. & a Mo-

MORALI prolatum *Lib. IX. cap.* 28. *fol.* 288. & ab OCCONE *pag.* 4. *num.* 4. Cos. II. sed præferri debet ZURITÆ lectio, cum testis fuerit oculatus, sicut Gruteriana etiam, *pag.* 155. *num.* 7. alteri *num.* 9. Etiamque debet emendari Consulatus annus apud MORALEM *Lib. IX. cap.* 28. *fol.* 288. *p.* 2. OCCONEM *pag.* 4. *num.* 5. & GRUTERUM *pag.* 195. *num.* 2. ubi pro III. legi debet IV. consulto eruditissimo RAPHAËLE FABRETTO *ad Columnam Trajani*, *pag.* 282. Simile remedium adhiberi debet Inscriptioni quæ legitur in *Thesauro* Muratoriano, *tomo I. pag.* 445. *num.* 4. ubi, ut mea fert opinio, Consulatus annus debet esse IV.

57. Tertia *Augustobriga* est, quam RHUA dixit esse in Carpetania, motus proculdubio auctoritate *Itinerarii* ANTONINI, ubi in *secundo itinere ab Emerita Cæsaraugustam*, constituitur juxta Toletum. Sed cum hoc oppidum fuerit *Carpetaniæ caput*, docente PLINIO *Lib. III. cap.* 3. fortasse *Augustobriga* non in ipsa Carpetania, sed ei proxima fuit.

58. *CÆTOBRIGA* collocatur ab ANTONINO in *itinere ab Olisipone Emeritam.* RAVENNAS *Lib. IV. cap.* 43. vocavit eam *Cetobriccam*: & eadem est ac PTOLEMÆI *Cætobrix* sita in Turdetanis *Lib. II. cap.* 5. Et non male conjicit RESENDIUS *Lib. IV. Antiquit. Lusitan. pag.* 213. ibi fuisse Cetaria, Hispane *Almadravas*, ubi scilicet salie-

liebantur tynni, & qui saliebant eos, vocabantur *Cetarii*. Unde emendandus est VALERIUS MAXIMUS *Lib.v. cap.*I. *n.* 5. ubi pro *Centcbrica* & *Centobricenses*, reponendum, *Cetobrica*, & *Cetobricenses*.

59. *CATTAGOBRIGA* in Vettonibus a PTOLEMÆO recensetur, *Lib. II. cap.* 5. a qua diversa fuit *Cætobriga*, quæ mendose *Catobriga* dicitur in ANTONINI Itinerario *in itinere ab Olisipone Emeritam.*

60. *CŒLIOBRIGA* memoratur a PTOLEMÆO *Lib. II. cap.* 6. caput fuit Coelerinorum, qui ad Bracaraugustanum Conventum pertinuerunt docente PLINIO, *Lib. III. cap.* 3. Ejus situs incertus est, licet multi multa scripserint. Ad *Cœliobrigam* pertinere voluit nummum Macrini, & Treboniani illustrissimus SPANHEMIUS *Dissert. IX. de Præstantia, & usu Numismat. pag.* 772. sed merito disensit HARDUINUS in *Nummis antiquis, pag.* 120. & disertius VAILLANTIUS in *Parte I. Coloniarum, pag.* 169. *& in* 2. *pag.* 30. *&* 31. BERNARDUS ALDRETUS caussæ suæ serviens, *Cœliobrigæ*, quam *Caliobrigam* etiam vocavit, notationem Græcam dedit, *Lib. III. de Origine linguæ Castellanæ, cap.* 3. *pag.* 290. licet Græci in illa loca nullam duxerint Coloniam: nam referente SCYMNO CHIO ℣. 146. *& seqq.* Mænace Grecarum urbium omnium extremum habuit situm: & STRABO de ea loquens etiam ita scripsit *Lib. III. pag.* 108. *quam ul-*

ultimam Phocæorum versus occasum civitatum accepimus.

61. *DEOBRIGA* fuit urbs Vettonum referente PTOLEMÆO, *Lib. II. cap.* 5. Fuit etiam alia *Deobriga* Austrigonum apud eundem *Lib. II. cap.* 6. Harum uni, tanquam Municipio nummus tribuitur in Goltzii *Thesauro*, *pag.* 242. Sed fidem adhibere non audet HEINECCIUS in *appendice Lib. I. Antiq. Roman. cap.* I. §. 14. & inter meras nugas, & cassas glandes enumerat MARTINUS *epist.* II. *Lib. III.*

62. *DEOBRIGULA*, cujus mentio fit apud ANTONINUM in *itinere ab Asturica Tarracone, & ab Asturica Burdigalam*, PTOLEMÆO *Lib. II. cap.* 6. sita dicitur in Murbogis, qui Cantabris erant finitimi. *Murbogi* autem Ptolemæi sunt *Tormogi*, uti constat ex Inscriptione apud MURATORIUM *Tomo I. Novi Thesauri Inscript. pag.* 327. *num* 7. nam ibi memoratur quidam *Phœbus, qui & Tormogus Hispanus natus Segisamone.* Segisama autem Julia fuit sub *Turmodigis*, ut eos PLINIUS nominavit *Lib. III. cap.* 3.

63. *DESSOBRIGA* unice occurrit apud ANTONINUM in *itinere ab Asturica Tarracone.* Nec ideo memoria ei deneganda.

64. *FLAVIOBRIGA*, ubi posita fuerit, incertum est. PLINIUS *Lib. IV. cap.* 20. Vardulorum oppida recensens, enumeravit *Amanum Portum*, ubi nunc (inquit) *Flavio-*

viobriga Colonia. Varduli secundum eundem PLINIUM *Lib. III. cap.* 3. fuerunt finitimi Cantabris, extremi Hispanorum, quorum gens ad Pyrenæi jugi promontorium pertinens, claudebat Hispaniam, ut refert MELA, *Lib. III. cap.* 1. in fine. PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. collocavit *Flaviobrigam* in Autrigonibus, qui etiam fuerunt finitimi Cantabris. Constat igitur de vicinitate Cantabrorum, licet JOHANNES MARIANA *Lib. IV. cap.* 4. adversus PLINIUM & PTOLEMÆUM scripserit fuisse in Cantabria: & vel *Bermeum* esse, vel non procul situm *Bilbaum*: Posteriorem hanc opinionem accepit ab ANTONIO NEBRISSENSI, in *Dictionario propriorum Nominum*, & a FLORIANO CAMPENSI, *Lib. I. cap. 7. fol.* 25. quam NONIUS etiam sequutus est *in Hispania*, *cap.* 79. Priorem opinionem didicit a GARIBAJO *Lib. VII. cap.* 10 & sibi consentientem habet OIHENARTUM in *Notitia utriusque Vascceniæ*, *Lib. II. cap.* 8. *pag.* 153.

65. *JULIOBRIGA*. De hac ita PLINIUS scripsit *Lib. III. cap.* 3. *in Cantabris populis Juliobriga sola memoratur*. Sed tamen eodem PLINIO teste *Lib. IV. cap.* 20. *Civitatum novem Regio Cantabrorum fuit*. Quarum octo, ut alibi diximus, enumeravit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. & earum nomina sunt hæc. *Concana*, *Ottaviolca*, *Argenomescum*, *Vadinia*, *Vellica*, (quam FLORUS *Lib. IV. cap.* 12. & OROSIUS *Lib. VI.*

cap.

cap. 21. nominarunt *Belgicam*) *Camarica*, *Juliobriga*, (qua de agimus) & *Moroeca*: quibus si addatur *Nœgaucesia*, quam in exemplari Græco Bibliothecæ Regiæ Parisiensis inveniri ait OIHENARTUS in *Notitia utriusque Vasconiæ*, *Lib. I. cap. 3. pag.* 10. novem erunt Civitates a PLINIO numeratæ. Omito STRABONEM *Lib. III. pag.* 108. ex Asclepiade Myrleano referre, ibi, (in Cantabris scilicet) *Opsicellam urbem conditam ab Obsicella, qui cum Antenore ejusque liberis in Italiam trajecit*. Nam quemadmodum fabulosa est hæc urbis conditio, ita potuit esse fabulosa ipsius urbis existentia. Fabulam illam incrustavit JULIANUS PETRI *Advers.* 304. *Arracillum* oppidum, quod, ait FLORUS *Lib. IV. cap.* 12. Romanis armis magna vi repugnasse, captum tamen postremo fuisse; in hunc censum non refero; quia ut addidit OROSIUS *Lib. VI. cap.* 21 tunc dirutum fuit.

66. Sed ut ad *Juliobrigam* redeam, ejus situm designavit PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. inquiens: *Hiberus amnis navigabili commercio dives, ortus in Cantabris, haud procul Juliobriga.* Certe quemmadmodum Ilicitani mediterranei suum habuerunt Portum, qui nunc dicitur *el Cap del aljub*; sic etiam *Juliobrigenses*, de quibus ita PLINIUS *Lib. IV. cap.* 20. Portus Victoriæ Juliobrigensium. Ab eo loco fontes Hiberi quadraginta millia passuum. HIERONYMUS ZURITA in

in *Cantabriæ Descriptione* , *pag.* 23. ait, hunc Portum esse quem hodie vocamus *Santander* , cui assentitur OIHENARTUS in *Notitia utriusque Vasconiæ Lib.* I. *cap.* 3. *pag.* 11. Calculum suum addit JULIANUS PETRI *Advers.* 304. Sed qui ejus personam induit scire debuit , *Santander* conditum fuisse ab Alfonso IX. anno 1174. longo scilicet tempore posteaquam ipse JULIANUS se vixisse memorat. Idemque Rex Santanderi Foros sive leges dedit anno 1187. referente FRANCISCO SOTA in *Chronico Principum Asturum & Cantabriæ* , *Lib.* III. *cap.* 58. *num* 12. & Marchione Mondexarensi in *Monumentis Regis Alfonsi nobilis* , *cap.* 54. JOHANNES MARIANA *Lib.* I. *cap.* 2. & *Lib.* XI. *cap.* 20. Latinum nomen imponere volens Santanderi , nominavit *Sanctum Emeterium* , cum hic Hispanè dicatur *San Medel*: ANTONIUS LUPIANUS ZAPATA , *Sanctum Trudonium* , teste PETRO FERNANDEZ DEL PULGAR in *Prologo Historiæ Palentinæ* , *fol.* 30. Re vera *Santander* est *Sanctus Andreas.* Hic Portus diversus fuit a *Juliobriga* , licet non negavero non longe distasse ab ea. Male itaque POZA *Santanderum* confudit cum *Juliobriga*, argumentum sumens a distantia Hiberi fontium , libro *de antiqua lingua* , *conditionibus*, & *Regionibus Hispaniarum* , *cap.* 14. *fol.* 41. *pag.* 2. AMBROSIUS MORALES in *Antiquitatibus fol.* 68. duas agnoscere voluit *Juliobrigas.* Sed diversos situs assignare debuerat.

67.

67. In *Notitia Imperii Occidentalis*, *pag.* 147. *col.* 1. sic legitur: *Tribunus cohortis Celtiberæ Brigantiæ, nunc Juliobriga*; id est, *Juliobrigæ*, vel *in Juliobriga*, more inclinantis Latinitatis, ut diversa sit a *Brigantia*. Ex quo loco pessime aliqui volunt conjicere *Juliobrigam* esse *Berganza*. FRANCISCUS TARRAFA in *libro de Origine*, *ac rebus gestis Regum Hispaniæ*, MICHAEL VILLANOVANUS in *Notis ad Ptolemæum*, & ANTONIUS NEBRISSENSIS in *Dictionario propriorum Nominum*, scripserunt *Juliobrigam* esse *Logroño*, nullo nixi fundamento. LAURENTIUS PADILLA in *Antiquitatibus Hispaniæ*, *fol.* 2. *pag.* 1. vere dixit esse *Reinoso* (quod oppidum alii vocant melius *Reinosa*) quia situm est prope fontes Hiberi. (*Fontibre*). ORTELIUS, ut ipse ait, ex FLORIANO, dicit esse *Olivam* in Regno Navarræ, nullo probabili argumento. ESCOLANUS laudans PALMIRENUM *Lib. VI. cap.* 19. *num.* 3. vult esse *Olivam* patriam meam; verum hæc sita est in Contestanis. Ad *Juliobrigam* pertinet Inscriptio quæ legitur apud PETRUM APPIANUM, *pag.* 15. quam descripserunt LUDOVICUS PONS DE ICART in *Excellentiis Tarraconis fol.* 172. *pag.* 2. AMBROSIUS MORALES in *Antiquit. fol.* 67. *litt.* E. JANUS GRUTERUS *pag.* 354 *num.* 4. HIERONYMUS PUJADES in *Chronico Cataloniæ Lib. III. cap.* 60. *fol.* 114. nullo vero modo pertinet ad *Juliobrigam* Inscriptio, quæ legitur

apud

apud MURATOR. *Tomo IV. Novi Thesauri veter. Inscript. pag.* 2011. *num.* 10. ubi *Juliobrigæ* nomen omissum est , & formatum ex monstrosa aliqua lectione , descriptumque apud HIERONYMUM CONTADOR DE ARGOTE , *pag.* 169. *Antiquitatum Conventus Bracaraugustani*, quas ego dedi sapientissimo MURATORIO. Sed neque pertinet ad veram *Juliobrigam* nummus apud GOLTZIUM *pag.* 243. nam in eo *Juliobriga* dicitur *Municipium* , & ex PLINIO constat fuisse Coloniam. Fictionem agnovit MARTINUS *Epistolar. Lib. III. epist.* 11.

68. PELLICERIUS in *Annalibus Hispaniæ Lib. V. num.* 28. ait , Augustum diruisse *Juliobrigam* , quod nullo modo probavit. Sane eam ante Augustum nemo nominavit, & postea exsistebat tempore PLINII , & PTOLEMÆI , & *Notitiæ Dignitatis utriusque Imperii.* In sequenti vero tempore altum de ea silentium. Itaque credibile est , eam diruisse Lewigildum anno DLXXII. quo Cantabriam ingressus eam evertit ; ut conjicere possumus ex Abbate Biclarensi *ad annum VIII. Justini , & Lewigildi VI.* & ex *Sancti Æmiliani Vita* auctore B. BRAULIONE *cap.* 26. Illud omnino certum est , sub Gothorum dominatione nullam Hispaniæ Descriptionem editam fuisse , quæ ad nos pervenerit ; & cum Reccaredi tempore renovata fuerit memoria Sedium Episcopalium ob Conciliorum frequentiam ; *Juliobrigæ* tamen in

in Conciliis nulla mentio exstat.

69. *MEIDOBRIGA* nusquam hoc nomine memoratur, sed ejus verum nomen probant *Meidobrigenses* recensiti in Inscriptione Pontis Alcantaræ apud MORALEM *Lib. IX. cap.* 28. *fol.* 285. *litt.* E. GRUTERUM *pag.* 162. *num.* 3. NONIUM in *Hispania cap.* 39. & HIACYNTHUM ARIAM DE QUINTANADUEÑAS in *Antiquitatibus Alcantaræ*, *Lib. I. cap.* 12. *pag.* 57. Hi sunt iidem ac *Medubricenses*, qui *Plumbarii*, apud PLINIUM dicuntur, *Lib. IV. cap.* 22. quia nimirum in monte *Herminio*, a quo *Herminia*, nunc *Arameña*, plumbi fuerunt fodinæ, ut observavit RESENDIUS *Lib. I. Antiquit. Lusitaniæ pag.* 60. quem sequuti sunt JACOBUS MENDEZ DE VASCONCELLOS, *pag.* 256. VASÆUS *cap.* 10. *fol.* 20. *ad annum* 400. ORTELIUS in *Synonymia Geographica*, & QUINTANADUEÑAS in *Antiquit. Alcantaræ Lib. I. cap.* 12. *fol.* 63. *pag.* 2. Prope Herminium autem montem fuit *Meidobriga*, quam Scriptor *de Bello Alexandrino Lib. IV. pag.* 421. *Medobrigam* nominavit, & ANTONINUS *Mundobrigam*, in *itinere ab Olisipone Emeritam*. Adderem ad *Meidobrigam* pertinere Inscriptionem, quam edidit BRITO *Lib. V. Monarchiæ Lusitanæ*, *cap.* 22. *pag.* 519. nisi Britonianæ merces mihi suspectæ essent.

70. *MIROBRIGÆ* tres a PTOLEMÆO distinguntur, quibus quartam adjungemus. PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 4. collocavit pri-

mam earum in Turdetanis, qui iidem fuerunt ac Turduli teste STRABONE *Lib. III. pag.* 96. ideoque PLINIUS *Lib. III. cap.* 1. recte eam posuit in Bæturia Turdulorum, distincta a Bæturia Celticorum eodem PLINIO teste. Hoc Municipium positum fuit prope villam, quæ *Capilla* dicitur, & sita est in finibus Comitatus Belalcazarensis, ut observavit JOHANNES GENESIUS SEPULVEDA, qui in *Mirobrigæ* vestigiis duas Inscriptiones repertas legit, ut ipse ait *Epistolar. Lib. III. epist.* 48. quem sequutus est MARIANA *Lib. XII. cap.* 12. Inscriptiones ad hanc *Mirobrigam* pertinentes legi possunt apud MORALEM in *Antiquit. fol.* 98. *pag.* 1. & 2. LIPSIUM *pag.* 27. OCCONEM *pag.* 8. *n.* 1. & 2. GRUTERUM *pag.* 252. *num.* 3. & BIVARIUM in *Addit. ad Sanctum Braulionem pag.* 32.

71. Secunda *Mirobriga* est, quam PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 5. collocavit in Celticis, Lusitaniæ populis. Unde apud PLINIUM *Lib. IV. cap.* 22. pro *Merobrica* reponendum *Mirobrica*, aut *Mirobriga*, ut apud eundem ibidem probat gentile *Mirobrigenses*, qui *Celtici* cognominantur, ut distinguantur a Turdulis. Ad hanc *Mirobrigam* pertinent Inscriptiones quas memorat RESENDIUS in *Antiq. Lusit. Lib. IV. pag.* 208. BIVARIUS in *Addit. ad S. Braulionem pag.* 32. & GRUTERUS *p.* 642. *num.* 6. & 442. *num.* 9. ubi in epigraphe pro *Medobriga* legi debet *Mirobriga*, ad

quam

quam etiam spectat Inscriptio apud MURATORIUM *Tomo I. Novi Thes. veter. Inscript. pag.* 18. *num.* 5. *Mirobriga* autem, ut volunt RESENDIUS & BIVARIUS, est hodie *Santiago de Cacem.* Ad hanc refertur fictus nummus apud GOLTZIUM *pag.* 244.

72. Tertiam *Mirobrigam* in Oretanis populis Provinciæ Tarraconensis collocavit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. ejusque mentionem fecit Itinerarium ANTONINI *in itinere per Lusitaniam ab Emerita Cæsaraugusta;* neque ejus ulla alia mentio.

73. Quarta *Mirobriga* probatur ex Inscriptione quæ reperta fuit Bletisæ hodie *Ledesma*, & legitur apud VASÆUM, *pag.* 20. *ad annum* 400. & quia alia similis ad dirimendos fines legebatur in Civitate Roderici, apud eundem VASÆUM, opinabatur Franciscus Ruizius Vallisoletanus, Civitatem Roderici esse *Mirobrigam*, præeunte FLORIANO OCAMPIO *Lib. I. cap.* 7. *fol.* 25. *pag.* 2. ubi adjunxit, postea dictam *Augustobrigam.* Sed utrumque nullo nititur fundamento, licet quod attinet ad prius nomen Floriano assenserit MORALES *Lib. IX. cap.* I. *fol.* 219. *litt.* A. Hæc *Mirobriga*, ut Inscriptio docet, prope Salmanticam erat, cujus situs est in Vettonibus Lusitaniæ populis teste PTOLEMÆO *Lib. II. cap.* 5. Bætica igitur unam habuit *Mirobrigam*; Provincia Tarraconensis, alteram; & Lusitania, duas.

74. *NEMETOBRIGA* memoratur in Itinerario ANTONINI *in tertio itinere a Bracara Asturicam*, & a RAVENNATE *Lib. IV. cap.* 45. PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. collocavit eam in Tiguris post Amacoros in quibus Asturica Augusta. Pessime igitur RUDERICUS CARUS *Lib. III. Antiquit. Hispal. cap.* 66. *fol.* 194. *col.* 4. *Nemetobrigam* confudit cum *Nertobriga* , eumque sequutus fuit JOHANNES FERRERAS in *Indice Chorographico* , quem adjunxit *Synopsi Historicæ*, *pag.* 238. ubi varias, & improbabiles opiniones recensens, ait, *Nertobrigam* esse *Valdenebro* , sequens Michaëlem Villanovanum, & ejus sequacem Josephum Moletium ; cujus sicut & Francisci Tarraphæ inscitiam merito elevavit CARUS *Lib. III. cap.* 29. Audacter suo more JOSEPHUS PELLICERIUS in *Apparatu ad Monarchiam Hispanam* , *pag.* 190. cum *Netobrica* confudit ut *Netoni* suo tres *Netobrigas* tribueret.

75. *NERTOBRIGA* memoratur a PTOLEMÆO in Turdetanis *Lib. II. cap.* 4. ei adjunctum est cognomen *Concordia Julia*, ut ait PLINIUS *Lib. III. cap.* 1. ubi antea male legebatur *Vertobriga* , quod mendum animadvertit AMBROSIUS MORALES in *Antiquit. fol.* 100. *litt.* B. & similis medicina adhiberi potest L. FLORO *Lib. II. cap.* 17. ubi pro *Nertobriges* forte legere debemus *Nertobrigam* , quam ex Inscriptione ibi reperta primus omnium B. ARIAS MONTANUS ob

observavit esse *Valera*, prope *Fregenal de la Sierra*, ubi natus fuit ipse Montanus, de cujus patria nonnulli dubitarunt. Sed Fregenalium esse probavi invictis rationibus, quas communicavi cum Josepho Cevallio viro doctisimo, & hic cum HENRICO FLORIDO, qui eas protulit in *Præfat. tomo. X. Hispaniæ Sacræ*. Sed de hac re diligentius ego antea scripseram ad Excellentissimum Virum Benjaminum Keene. Montani observationem debemus ABRAHAMO ORTELIO in *Synonymia Geographica* v. *Nertobriga*. Non est igitur *Nertobriga* ipsum Fregenalium, ut existimavit MORALES in *Antiq. fol.* 100. dicta autem fuit *Concordia Julia*, & ab ea diversa fuit alia *Concordia* sita in Lusitania, quæ memoratur a PLINIO *Lib. IV. cap.* 22. & a PTOLEMÆO *Lib. II. cap.* 5.

76. Altera *Nertobriga* fuit in Celtiberia ubi eam collocavit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. & ANTONINUS. Ille inter Turiasonem, & Bilbilim; hic inter Bilbilim & Segontiam, *in duobus itineribus ab Emerita Cæsaraugustam*. APPIANUS in Libro *de Bello Hispaniensi* vocavit eam *Nergobrigem*, quam occupasse memorat Claudium Marcellum A. Varroniano ab u. c. DCI. Coss. Q. Fulvio Nobiliore, & T. Annio Lusco; qui error vetustus est, cum a Suida repetatur dum APPIANI verba repetit in Μετριοπαθεῖν. POLIBIUS in *Excerptis Legationis* CXLI. vocavit eam *Ercobricam*. Eandem urbem po-

stea expugnavit Metellus Macedonicus, ut refert FLORUS *Lib. II. cap.* 17. ubi pro *Nertobriges* reponendum esse *Nertobrigam*, paullo antea dixi. Cum autem N. facile in V. permutetur, vetustissimum Flori exemplar excussum habet *Vertobriga*.

77. *SEGOBRIGA* passim nominatur in antiquis monumentis; & tamen ejus situs nusquam apparet. Videamus quid de ea dici possit secundum antiquos Geographos, Historicos, Nummos, & Inscriptiones. A Geographis incipiamus.

78. *Celtiberia* fuit nomen, quod Hispaniam universam, aut fere totam complexum est, licet postea singularem quandam designarit regionem, in qua STRABO *Lib. III. pag.* 112. collocavit *Segobrigam* ita scribens: *Celtiberorum urbes sunt Segobriga, & Bilbilis*. Itemque PTOLEMÆUS *Lib. II. c.* 6. *Caputque Celtiberiæ Segobricenses, Carpetaniæ, Toletani Tago flumini impositi*, ut ait PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. quæ PLINII verba multis dederunt occasionem credendi Segobricam, & Toletum PLINII tempore fuisse urbes metropoles; cum utrumque falsum sit. Tunc enim Hispania divisa erat in Provincias; hæ in Conventus Juridicos: atque Segobrica, & Toletum oppida erant stipendiaria Carthagini subjecta eodem PLINIO teste: quanquam minime negabo, PLINIUM de Segobricensibus, & Toletanis plurativo numero loquentem, significare voluisse utrum-

trumque oppidum suos habuisse vicos intra territorium suum: cui observationi occasionem mihi dedit AMBROSIUS MORALES in *Additione Lib. IX. ad fol. 294. pag. 2. litt. E.* PLINIUS igitur, ut optime admonuit HIERONYMUS ZURITA in Epistola ad ANTONIUM AUGUSTINUM apud DIDACUM DORMERUM in *Progressibus Historiæ Aragonensis, pagin.* 425. *col.* 1. voluit dicere *Segobrigam* esse initium Celtiberiæ; cui opponitur finis. Fuit autem Clunia Celtiberiæ finis, eodem PLINIO teste *Lib. III. cap.* 3. Similiter de Bætica loquutus est idem PLINIUS; nam *Lib. III. cap.* 22. scripsit, *in ipso vero capite Bæticæ*; atque ipse PLINIUS *Lib. III. cap.* 1. dixit: *Murgis Bæticæ finis*. Non est tamen negandum, eundem PLINIUM alibi hoc nomen, *caput* usurpasse alio sensu, cum videlicet *Lib. III. cap.* 5. dixit, *Romam terrarum caput*, & *Lib. V. cap.* 26. *Babylonem quondam Chaldææ caput*, metropolim intelligens: & *Auctor de Bello Hispaniensi Lib. VI. pag.* 408. *Cordubam Provinciæ caput esse existimari.* Sed in nostro argumento contextus aliam interpretationem exigit; neque enim *Segobricam*, & *Toletum* memoravit, sed *Segobricenses*, & *Toletanos*, ut taceam, non solum apud Romanos, sed nec apud Hispanos non fuisse Segobricam Celtiberiæ urbem principem, sed Contebriam, ut docuit VALERIUS MAXIMUS *Lib. VII. cap.* 4. Eodem modo ANTONINUS in *secun-*

do itinere a Laminio Cæsaraugustam, memoravit *Caput fluminis Anæ*, hoc est, initium, sive ut Hispanice dicam, *los ojos de Guadiana*; more hebraico, nam *aen*, & *ain oculum* significat, & etiam *fontem*. *Capiti* autem contrarium est *Ostium*, ut cum idem *Itinerarium* ait: *item ab Ostio fluminis Anæ Emeritam usque*.

79. A Geographis ad Historicos transeamus.

80. FRONTINUS *Lib. III. cap.* 10. *n.* 6. meminit stratagematis, quo usus est Veriathus adversus *Segobricenses*.

81. PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. ait Hispaniam Citeriorem specularibus lapidibus scatere. *Libro* vero *XXXVI. cap.* 22. melius hoc declaravit. *Specularis vero (quoniam & hic lapis nomen obtinet) faciliore multo natura finditur in quamlibet tenues crustas. Hispania hunc olim Citerior tantum dabat, nec tota, sed intra centum millia passuum circa Segobricam urbem*. Quem locum præ oculis habuit ISIDORUS *Lib. XVI. Etymol. cap.* 4. *in fine*. Cui addi potest EMMANUEL MARTINUS *epist.* 4. *Lib. XI.*

82. Quod attinet ad situm ubi fuit *Segobrica*, Archiepiscopus Toletanus RUDERICUS XIMENIUS DE RADA *Lib. III. c.* 21. loquens de Maurorum irruptione in Hispaniam, ita scripsit: *Adeo enim pestis invaluit, quod in tota Hispania non remansit Civitas Cathedralis, quæ non fuerit, aut incensa, aut diruta*. Utrumlibet horum Se-

go-

gobricæ contigerit, ejus vestigia nulla manent, quæ designare possimus. Cum urbes Christiani recuperabant, cupientes Ecclesiam Hispanam instaurare, antiquas Sedes Episcopales renovabant. Petrus Ruizius Azagra bellator imprimis dux, non apud suos solum; sed etiam apud exteros clarus, & in omnibus eventibus pace belloque princeps, Albarracini oppidi arciumque potitus voluit illud condecorari Episcopali Sede: & Cardinalis Hyacinthus Bobus, Alexandri III. Legatus, & Cenebrunus Archiepiscopus Toletanus coeperunt inquirere in qua antiqua Dioecesi situm esset Albarracinum, ut ejus titulo illam insigneret. Atque anno MCLXXII. eam Sedem decreverunt nominare *Arcabricensem*, sic corrupte vocantes, quam *Ercavicensem* dicere debebant. Itaque Cenebrunus Martinum consecravit primum ejus Sedis Episcopum. Quadriennio elapso, anno videlicet MCLXXVI. propositum argumentum in novum examen revocans, animadvertit, Albarracinum non fuisse situm in dioecesi *Arcabricensi* (hoc est, *Ercavicensi*) sed in *Segobricensi*; jussitque ut Sedes illa hunc titulum haberet. Cum autem Episcopus Albarracinensis egestate laboraret; a Summis Pontificibus Gregorio IX. Innocentio IV. & Alexandro IV. obtinuit ut si quando Sedes & Civitas *Segobricensis* (hoc est, *Segorbe* sita in Regno Valentino) recuperaretur, in rebus Ecclesiasticis subjecta esset Episcopo Albar-

barracinensi. Recuperata igitur urbe *Segorbe* anno MCCXLV. possessionem ejus Sedis obtinuit Episcopus Albarracinensis: atque inde natæ gravissimæ contentiones inter Episcopos Valentiæ & Segorbis de hujus territorio, & inter Metropolim Tarraconensem, & Toletanam, vindicantes jus Metropoliticum; ac more illis temporibus recepto, armis potius quàm Canonibus decretum est. Sed opinio existimantium urbem *Segorbe* esse antiquam *Segobricam* prævaluit; atque ita obtinuit, ut Hispanorum Grammaticorum Princeps ANTONIUS NEBRISSENSIS in *Dedicatione sui Vocabularii Latino-Hispani*, & postea in *Dictionario propriorum nominum* non dubitarit scribere *Segobrigam* esse *Segorbe*.

83. Atque hæc est origo hujus opinionis innixæ monumentis apocryphis, cujusmodi sunt *Divisio Terminorum Diœcesium, & Parochiarum Hispaniæ* Regi Wambæ tributa, & alia similia accedente similitudine vocum, *Segobriga*, & *Segorbe*. Hujus historiæ auctores sunt Carolus Imperator, & Rex Hispaniæ in Comitiis Montissonensibus celebratis anno 1542. *foro* 4. *in extravaganti, quod Officia Regni* (Valentini) *non concedantur extraneis personis, & quod Beneficia non dentur extraneis*. PHILIPPUS IV. *cap.* 61. *Fororum, & Actorum rogatorum anno* 1626. HIERONYMUS ZURITA in *Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum Lib. I. pag.* 76. & 78. & *Lib. II. Annal. cap.* 28. & 31.

Jo-

JOHANNES MARIANA *Lib. XI. de Reb. Hispaniæ*, *cap.* 12. CASPAR ESCOLANUS *Lib. VIII. Hist. Valentiæ cap.* 13. *num.* 5. FRANCISCUS DIAGO *Lib. II. Annal. Regni Valentiæ*, *cap.* 4. & *Lib. V. cap.* 15. MARTINUS CARRILLO in *Histor. S. Valerii Episcopi Cæsaraugustani*, *pag.* 354. FRANCISCUS DE VILLAGRASSA in *Antiquitate Ecclesiæ Cathedralis Segorbiensis pag.* 7. 8. 9. 47. 48. 52. 64. JOHANNES FERRERAS in *Historia Hispaniæ ad annum* 1170. *n.* 8.

84. Sed veritatem indagemus. Etiamsi vocabulorum antiquorum, & recentium similitudo cum per canones etymologicos ad unam eandemque vocem refertur, indicium est probabile ejusdem significationis; tamen cum illa similitudo imperite examinatur, in errores maximos inducit, ut in argumento quo de agimus, contigit. Nam *Segobriga* nomen est Hispanum antiquissimum; *Segorbe* autem, Arabicum, siquidem ante Maurorum irruptionem in Hispaniam nusquam memoratur. Similitudo igitur, quæ dicitur esse in nominibus *Segobriga*, & *Segorbe*, in harum vocum sonitu, prout nunc pronuntiatur; non in primitivis nominibus, ut probari deberet, invenitur. Valentini hodie nostri Regni urbem notissimam nominamus *Segorb*: Castellani, qui non habent dictiones finitas in B; addunt E, & pronuntiant *Segorbe*. HIERONYMUS ZURITA in *Epistola ad Antonium Augustinum*, quæ legitur apud

DOR-

DORMERUM in *Progressibus Historiæ Regni Aragonum*, *pag.* 425. *col.* 1. ait, Maurusios nominasse *Xegort*, ubi proculdubio legi debet *Xegorb*, ut probatur ex CASPARE ESCOLANO *Lib.* VIII. *Hist. Val. c.* 12. *num.* 6. Scio mutationem s. in x. frequentissimam esse. Sed ecquis nomini Hispano antiquissimo, & Arabico post multa sæcula introducto, eandem interpretationem dabit, maxime urbium situ repugnante?

85. Enim vero quemadmodum Archiepiscopus Cenebrunus crediderat olim, Episcopalem Sedem Albarracino viciniorem fuisse *Ercavicensem*, quam ille corrupto nomine *Arcabricensem* nominavit; & quadriennio elapso aliter opinatus fuit; ita etiam nobis nunc liceat posteriorem hanc ejusdem opinionem in examen vocare, probe lectis, intellectisque antiquis Geographis, quorum plerique rudibus illis temporibus incogniti erant; alii, rarissimi, & sæpissime male intellecti. Quod eo plus licet, quò magis incomperto est, hoc etiam contingere scriptoribus recentibus etiam post eruditionis lucem.

86. *Segobriga* igitur, uti dictum est, sita erat in Celtiberia, ut testantur STRABO *Lib.* III. *pag.* 112. & PTOLEMÆUS *Lib.* II. *cap.* 6. in ejus capite, ut docet PLINIUS *Lib.* III. *cap.* 3. *Segorbe* autem proculdubio est in Hedetania, cujus fines per oram maritimam erant. Sucro fluvius hodie, *Júcar*, & flumen Uduba, nunc *rio de Murviedro*,

&

& Hedetaniæ urbes maritimæ erant Valentia, & Saguntum, ut refert idem PLINIUS *Lib. III. cap. 3.* & Cæsaraugusta. Itaque regio angusta prope mare, late in mediterraneis sese extendebat: quod significasse videtur STRABO cum *Lib. III. p.* 112. ita scripsit: *Secundum Celtiberos versus meridiem erant qui montem Orospedam, & loca circa Sucronem amnem incolebant Sedetani*: ubi *Sedetani* sunt *Hedetani*; quorum urbs Princeps fuit *Hedeta*, quæ etiam *Liria* dicitur apud PTOLEMÆUM *Lib. II. cap.* 6. Cum igitur *Segobriga* esset in Celtiberia, & *Segorbe* sit in Edetania; proculdubio debent distingui.

87. His accedit STRABONEM *Lib. III. pag.* 112. ita scripsisse: *Celtiberorum urbes porro sunt Segobriga & Bilbilis, circa quas Metellus & Sertorius bellum gesserunt*. Si vero *Segorbe* longe distans a Bilbili esset *Segobriga*, absurdum esset dicere *circa quas*, quæ locutio proximitatem denotat. Ruunt igitur fundamenta, quibus innitebantur, qui putarunt *Segobrigam* esse *Segorbe*. Nunc nequid, quod ad propositum argumentum pertineat, omittatur, videamus quare aliqui sentiant *Segobrigam* esse *Caput Graii*, & *Sepulvedam*.

88. PETRUS DE ALCOCER *Lib. I. Historiæ urbis Toleti, cap.* 20. *fol.* 22. *col.* 1. referens Toletanæ Sedis suffraganeas, ait, *Segobriga, quæ est Segorbe*, & *cap.* 51. *f.* 45.

col.

col. I. ita scripsit: *A quibus non longe distat Ucles, quæ vocabatur Urcesa, juxta quam in ripa fluvii Xiguela, inventum fuit paullo ante magnum spatium plenum magnis, & ingentibus ædificiis dirutis mirum in modum indicantibus fuisse illic frequentissimam urbem, quam aliqui dicunt vocatam* (sic) *Capud Gray, & alii, Segobrigam: & alii, Hipponem, & alii, Arcabicam.* Hic ALCOCER vulgares opiniones recenset, & nullam earum confirmat.

89. AMBROSIUS MORALES *Lib. VII. cap. 53. fol.* 121. *litt.* B. loquitur de *Segobriga*; sed ejus situm non designat. Idem *Lib. X. cap. 32. fol. 391. litt.* F. ait: *Segobriga fuisse dicitur juxta Inhiestam.* Sciendum autem est, *Caput Graii*, de quo ALCOCERUS, situm esse prope Inhiestam, ut ait JOHANNES FERRERAS *tomo I. in Indice Geographico* v. *Segobriga.* Existimo AMBROSIUM MORALEM properanter legisse ALCOCERUM, qui non affirmavit *Segobrigam* fuisse *Caput Graii*; sed retulit quod vulgo dicebatur de ruinis memoratis, multis diversa dicentibus pro cujusque opinione. Ipse MORALES *Lib. XII. cap. 3. fol. 96. litt.* F. aperte indicat, se ob oculos habuisse ALCOCERUM, siquidem ita scripsit de *Segobriga. Hæc urbs sita fuit in Celtiberia, & non bene inquiritur ubi* (idcirco de situ ejus nihil dixit *Lib. VII. cap. 53. fol.* 121. *litt.* B.) *quam creditur sitam fuisse in magnis ruinis, quæ ho-*

hodie visuntur juxta Ucles, ubi vocant Caput Graii. Sed certum est Segorbium non posse esse antiquam Secobrigam, ut vulgo creditur. Cum MORALES ait, *quanquam creditur*, alludit ad opinionem ab ALCOCERO indicatam: cum asserit, *Segorbium* non posse esse antiquam *Secobrigam*, verum indicat: etsi veritatis fundamentum ignorabat, siquidem *Lib. XII. cap. 50. fol. 173. litt.* D, nititur apocrypha *Divisione terminorum Dioecesium, & Parochiarum Hispaniae* afficta Regi Wambae. Ait enim: *Secobrica haec teneat de Tarabella usque Obviam, de Toga usque Brecam. Hic manifestè apparet quam intra Castellam esset Segobriga, & quam bene congruat, sitam fuisse in ruinis Capitis Graii. Aliae rationes robustiores sunt ad id probandum.* Explicemus horum verborum sensum.

90. Ait MORALES, in *Wambae Divisione manifeste apparere, quam intra Castellam esset Segobriga*, quia in illa confines leguntur termini Segobricae, & Valeriae, quae nomen antiquum retinens, vocatur hodie *Valera*, ubi magna antiquitatis vestigia, quae a Conca distant quinque leucis. Ideo dixit MORALES *manifeste apparere, quam intra Castellam esset Segobriga, & quam bene congruat sitam fuisse in ruinis Caput Graii.* Verum hoc male consonat cum iis, quae ipse MORALES scripsit *Lib. X. cap. 32. f. 191. litt.* F. *credi fuisse juxta Inhiestam*, siquidem hoc improbabiliter dixit, nullo gravi au-

auctore laudato nec ratione aliqua prolata; ideoque MORALES, ut antea ALCOCERUS, nos incertos dimisit.

91. Postremo adjunxit MORALES, *alias esse rationes robustiores ad id probandum.* Verum eas non protulit: & , ut opinor, occulte allusit ad rationes quas HIERONYMUS ZURITA cum suis amicis communicaverat, ut videre est in ANTONII AUGUSTINI *Dialogo VII. Antiq. pag.* 281.: certe sapientissimum illum virum sæpissime MORALES magnifacere solet.

92. Videamus nunc quid senserit, & scripserit JOHANNES MARIANA. Summus ille vir constans in excerpendis auctorum recentium scriptis, inconstanter scripsit, uti solent variorum scriptorum epitomatores, *Lib. II. de Reb. Hisp. cap.* 13. Si conferantur quæ ibi Latine scripsit, cum iis quæ postea Hispane transtulit, apparebit eum *Segobrigam* interpretatum fuisse *Segorbe*, & in Celtiberia urbem hanc constituisse. Idem MARIANA explicatius hoc ipsum affirmavit in utraque editione, *Lib. XIII. cap.* 12. ubi per narrationem exposuit quæ conjectanter scripserat ZURITA *Lib. II. Annal. cap.* 28. Ipse MARIANA *Lib. VI. cap.* 15. ante oculos habens MORALEM *Lib. XII. cap.* 50. *fol.* 173. *litt.* D. ita scripsit: *Segobrica, hujus urbis vestigia ab Urcesia octo passuum millibus in oppido quod Graii Caput vocatur, exstare, eruditiores habent persuassum: nam qui Se-*

gor-

gorbium putarunt, nominum eos similitudo misit in errorem. Adde interpretationem Hispanam. Ego scire vellem quinam sint eruditiores. An incerti opinatores, quorum nomina ALCOCERUS silentio pressit; ipse ALCOCERUS nihil affirmans, & MORALES titubans, quibus ipse MARIANA auctoritatem suam adjungit? Præterea *Segobrigam* non fuisse *Segorbe*, ipse videtur indicasse, cum *Lib. III. de Morte, & Immortalitate, pag.* 423. recenti gentili nomine usus est, ita scribens: *Baptistam Perezium, quem ex humili loco virtus & eruditio ad Segorbiensem Episcopatum evexit.* Sed ad alterius opinionis examen nos conferamus.

93. Propterea quod *Sepulveda* vocata fuit olim *Sepulvega* in sui Fori legibus, aliisque barbarorum sæculorum monumentis; ideoque JOHANNES GENESIUS SEPULVEDA *epist.* 37. *Lib. III. fol.* 87. *pag.* 2. existimavit fuisse *Segobrigam*, & opinionem hanc Philippo Hispaniarum Principi exposuit. Quod cum GRUTERUS credidisset, *pag.* 90. *n.* 7. ubi scripsit, *prope Segobrigam*, intellexit *Sepulvedam*, ut videre est apud MORALEM in *Antiq. fol.* 18. *litt.* D. & OCCONEM, *pag.* 38. *n.* 6. Sed hanc opinionem referre est refellere.

94. A priscis igitur, & recentibus scriptoribus ad antiquos Nummos transeamus.

95. Duos protulit VAILLANTIUS, alterum *Parte I. pag.* 43. in *Augusto*, *alte-*

K *rum*

rum pag. 80. *in Tiberio*; & in utroque loco duas distinguere voluit *Segobrigas*, non aliam ob caussam, nisi quia cum illa, quæ caput fuit Celtiberorum, stipendiaria fuerit, ut constat ex PLINIO *Lib. III. cap.* 3. & ipse in ea esset opinione, oppida stipendiaria non habuisse jus cudendæ monetæ; existimavit præter Celtiberorum *Segobrigam* fuisse aliam, quæ habuit Jus Latii. Sed ut nihil dicam de Toleto, oppido stipendiario; certum est Callet, quod etiam fuit stipendiarium, monetam cudisse. Præterea Jus Latii non habuerunt Abdera, Julia Traducta, & Lælia, & tamen jure cudendæ monetæ gavisæ sunt. Quod addit VAILLANTIUS, *Segobrigam* (intellige *Segorbe*) sitam esse ad *Turulim* (an dicere voluit *Turiam*?) fluvium, æque falsum est. Nam flumen juxta *Segorbium* est Uduba, qui mare prope Saguntum ingreditur. Cætera quæ VAILLANTIUS refert, jam supra a nobis confutata sunt. Nunc de Inscriptionibus, quæ ad *Segobrigam* pertinere dicuntur, aliqua indicemus.

96. CASPAR ESCOLANUS *Lib. VIII. Historiæ Regni Valentiæ cap.* 13. *n.* 1. refert, Segorbii ad sua usque tempora permansisse lapidem inscriptum, quem vidisse dicuntur Cl. vir FRANCISCUS LANZOL, & BACALAUREUS MOLINA. FRANCISCUS DIAGO *Lib. IV. Annal. Regni Valentiæ*, *cap.* 4. eandem Inscriptionem exhibuit, reprehendens ESCOLANUM propterea quod uno versiculo omisso

eam

ram descripserat. Uterque autem ait suo tempore jam non comparere lapidem illum. GRUTERUS *pag.* 320. *n.* 1. ipsammet Inscriptionem edidit, tanquam *Segobricæ* existentem, depromptamque e *Schotti schedis*, quæ quandoque suspectæ sunt. Proculdubio supra memorati scriptores alienis oculis eam viderunt, æque ac suis credentes. Certe de ejus existentia dubitare videtur DIAGUS *Lib. II. cap.* 4. *fol.* 23. *col.* 4. Apud GRUTERUM pro GAL. id est *Galeria Tribu* legitur *Gallo*, ut compendium hoc interpretari solebat PETRUS ANTONIUS BEUTER, hujus eruditionis homo rudissimus. Hæc Inscriptio videtur ficta fuisse ad similitudinem alterius quæ legitur apud GRUTERUM *pag.* 320. *n.* 2. L. Æmilio deest cognomen, quod poni debuit post Tribum. Stilus videtur recens, ut indicat affectata illa, & insolens repetitio, E *publico* patriæ decreto, E publica etiam *pecunia*. Ficta autem fuit ad confirmandum *Segorbe* esse *Segobrigam*.

97. Aliæ duæ Inscriptiones pertinentes ad *Segobrigam*, id est, *Segorbe*, leguntur apud GRUTERUM *pag.* 431. *n.* 1. & 2. sed sunt *ex schedis Fulvii Ursini*, quæ sicut multorum clarorum virorum Imagines, merito suspectæ fuerunt THOMÆ REINESIO, *epist.* 50. & 51. ejus judicium confirmante EVERARDO OTTONE in erudita *Vita Papiniani secundæ editionis*, *cap.* 3. *pag.* 45. & *cap.* 16. *pag.* 663. *Suessetani* autem in 2. Inscriptio-

ne memorati, sunt *Suessetani*, quorum dux fuit Indibil apud LIVIUM *Lib. XXV. c.* 34.

98. Alia Inscriptio ad *Segobrigenses* pertinens, & attributa *Segorbio*, est illa, quam affert ESCOLANUS *Lib. VIII. Hist. Valentiæ, cap.* 13. *n.* 2. ex fide Cl. viri Francisci Lanzol; sed PETRUS APPIANUS *pag.* 12. dixit esse Dianii, quem sequutus est JOSEPHUS PELLICER in *Lectionibus Sollemnibus ad Ludovicum de Gongora*, *col.* 621. FRANCISCUS vero DIAGO *Lib. II. Annal. Regni Valentiæ*, *cap.* 4. ait esse Tarracone. GRUTERUS *pag.* 324. *n.* 7. *Dianii*, *vel*, *ut aliis placet*, *Tarracone*: quod postremum merito confirmat Cl. vir FRANCISCUS DE VILLAGRASSA *Libro de Antiquitate Ecclesiæ Segorbiensis*, *pag.* 6. Et hoc verum est. Atque hinc apparet, quæ fides debeatur testimonio nobilis viri FRANCISCI LANZOL.

99. Alia celebris Inscriptio Tarraconensis ad *Segobrigam* pertinens, sed ejus situm minime probans, est apud MORALEM in *Antiquit. fol.* 68. OCCONEM, *pag.* 33. *num.* 5. ESCOLANUM *Lib. VIII. Hist. Val. cap.* 13. *n.* 2. ejusque meminerunt DIAGO *Lib. IV. Annal. Regni Val. cap.* 4. *fol.* 23. & VILLAGRASSA *pag.* 7. Apud APPIANUM vero *pag.* 18. perperam legitur *Segorbicæ*, & *Segorbicenses*.

100. Denique aliam Inscriptionem memorantem C. Julium Cænalum *Segobricensem* edidit LUD. MURATORIUS *Tomo II. novi*

vi Thesauri Inscriptionum, *pag.* 1080. *n.* 5: in cujus nota sunt quæ corrigi debent ex supra dictis: ut taceam *Segorbium* non esse Urbeculam, sed Sedem Episcopalem hujus Regni, cujus fructus sunt sapidissimi.

101. Hæc cum ita sint, *Segobrigæ* situs investigandus est: & si antiquos Nummos, & Inscriptiones sequimur, ejus nomen cum G. scribi debet.

102. *TUNTOBRIGA* solummodo nomen conservat apud PTOLEMÆUM, qui *Lib. II. cap.* 6. eam collocavit in Callaicis Bracariis.

103. *TURIGA* an huc referri debeat, dubito, etsi B. & V. facile permutetur. De ea PLINIUS *Lib. III. cap.* I. sic ait loquens de Celticis, *Cultuniacum*, *quæ & Turiga nunc est*. Hæc autem proculdubio est *Curiga* PTOLEMÆI, pertinens ad Bæticos Celticos, *Lib. II. cap.* 4. an vero sit *Curica*, quæ occurrit apud ANTONINUM *in itinere ab Ostio fluminis Anæ Emeritam usque*; & si ita voluit CARUS *Lib. III. Antiquit. Hispal. cap.* 70. *fol.* 196. *col.* 2. non audebo dicere. Idem opinatus fuit, Ucultuniacum, sive *Turigam* esse *Calera*; aut locum ei proximum. Sed vellem probabilem aliquam rationem attulisset.

104. *VOLOBRIGA* fuit oppidum Nemetanorum, qui inter Callaicos Bracares recensentur a PTOLEMÆO *Lib. II. cap.* 6. GOLTZIUS inter Municipia numeravit. Sed ne-

mini solide erudito fidem faciet.

105. Atque hæc sufficiant de oppidorum nominibus in BRIGA desinentibus.

CAP. VIII.

An vox UR *mutata sit in* IL, *& de Hispanorum oppidorum nominibus sic incipientibus.*

1. AN vero UR in IL mutatus fuerit; & eadem significatione manente, IL etiam oppidum significet in quæstionem venit. Hoc affirmavit MORALES in *Antiquitatibus*, *fol.* 56. *& in Scholiis ad Sancti Eulogii memoriale Sanctorum lib.* 2. *c.* 11: quem sequutus est Cl. vir FERDINANDUS DE MENDOZA *de Concilio Iliberritano confirmando cap.* 1. *pag.* 3. & plures alii. Verum ego non ita facile assentiar. Quis enim credat in *Ilarturis*, bis eandem significationem repeti?

2. An igitur IL significat locum editum? ita suadere videtur *Ilai* hebraicum: & fortasse celeberrimum *Ilion* non ab Ilo conditore dictum est, ut STEPHANUS, & SUIDAS voluerunt; Ilus, heros fabulosus existimandus est; sed a loci natura secundum illud VIRGILII V. *Æneidos*

Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto.

3. Neque desunt exempla quibus confirmari videatur. Et, ut ab *Ilerda* incipiam, Lu-

CA-

CANUS *Belli Civilis Lib. IV.* sic eam descripsit.

Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes,
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hybernas passurus aquas.

Et eodem *Lib.* ℣. 143.

Postquam omnia fatis
Cæsaris ire videt, celsam Petreius Ilerdam
Deserit.

Consonat AUSONIUS *Epistola XXV.* sic PAULINO scribens:

Ergo meum, patriæque decus, columenque Senati,
Bilbilis, aut hærens scopulis Calagorris habebit?
Aut quæ dejectis juga per scruposa ruinis
Arida torrentem Sicorim despectat Ilerda.

Unde explicandus est SALLUSTII locus ex *Historiarum Lib. I.* apud PRISCIANUM *Lib. V.* *Occupatusque collis editissimus apud Hilerdam: & eum multa opera circumdata.* Et ut hoc obiter addam, *Ilerdæ* civis apud Græcos dicitur *Ilerdites*, teste STEPHANO in *Ilerda*: apud Latinos *Ilerdensis*, docente PLINIO *Lib. III. cap.* 3. & Inscriptione apud GRUTERUM *pag.* 407. *num.* 6.

4. *ILICI* etiam erat situm in loco edito ; ideoque ejus antiquus situs hodie dicitur *Alcudia* a voce Arabica *cudia* (præposito articulo) quæ significat *cerro*, ut videre est in *Dictionario Arabico* PETRI ALCALÀ. Adde ESCOLANUM *Lib.* VI. *Historiæ Regni Valentiæ cap.* 19. *num.* 9. *col.* 163. & *Lib.* VIII. *cap.* 10. *num.* 4. *col.* 759. & ALDRETUM in *Antiquit. Hisp. Lib.* II. *cap.* 2. *pag.* 181. *Ilici* dicitur hodie *Elche*, unde *Sinus Ilicitanus*, apud MELAM *Lib.* II. *c.* 6. & PLINIUM, *Lib.* III. *cap.* 3. sed de *Ilici* aliquando Deo volente justam Disputationem evulgabit frater meus & alter, ego JOHANNES ANTONIUS.

5. *Ilipa*, hodie, *Peñaflor*, cujus nomen altitudinem designat. Atque hic locus est emendandi PLINIUM: nam *Lib.* III. *cap.* I. ubi scribitur, *Ilipa cognomine Illa*, legi debet *cognomine Julia*, quo quidem cognomine plurima Hispaniæ loca olim gloriabantur, uti supra diximus. Gentilis dicitur *Ilipensis*, ut patet ex Inscriptione, quam affert NICOLAUS ANTONIUS in *Censura Historiarum fabulosarum*, *Lib.* VI. *cap.* 2. *n:* 23. & ex nummo apud CARUM *Lib.* III. *Chorograph. Hispal. cap.* 11. *fol.* 98. Distinguebatur autem *Ilipa* a *Julipa*, cujus gentile est, *Julipensis*, ut patet ex alia Inscriptione apud eundem NIC. ANTONIUM in *eodem cap.* & in *Biblioth. vet. Lib.* VII. *cap.* 7. *n.* 120. atque ab *Ilipula* etiam, quæ *Laus* apud PLINIUM

NIUM *Lib. III. cap.* I. & ab *Ilipula minore* apud eundem PLINIUM *eod. cap.* Denique ab *Ilipone*, cujus gentile *Iliponensis* apud GRUTERUM, *pag.* 351. *num.* 5.

6. *ILITURGI* in edito loco situm descripsit LIVIUS *Lib. XXVIII.cap.* 20. ubi legimus qua arte Scipio illud expugnarit A. Varroniano ab u. c. DXLVIII.: meminit ejus ANTONINUS in *itinere a Corduba Castulone*, & PLINIUS *Lib. III. cap.* I. ubi addit appellatum fuisse *Forum Julium*. Ad *Iliturgi* pertinet Inscriptio quam edidit MURATORIUS *Tomo II. novi Thes. Inscript. pag.* ML. *num.* 9. quæ depravatissima est.

7. Verum licet oppida memorata sita fuerint in locis editis; non tamen ideo affirmare ausim, IL significare locum editum. Cum multa sint oppidorum nomina per hanc syllabam incipientia, quorum aliqua constat in planicie sita fuisse, & aliorum situs omnino ignoratur. Huc pertinet *Ilarcuri*, *Ilcubida*, *Ilcumo*, *Ildo*, *Ilergetum*, *Ileosca*, *Ilia*, cujus nomen, ut hoc obiter dicam, colligitur ex gentili *Ilienses*, quod reperitur in lapide *Astigitano* apud GRUTERUM *pag.* 351. *num.* 5. unde corrigenda est eadem Inscriptio male descripta apud eundem *pag.* 305. *num.* 8. quam depravatam esse admonuit Occo *pag.* 4. *num.* 3. atque hinc lucem accipit altera Inscriptio apud GRUTERUM *pag.* 101. *num.* 3. & 4. *Iliberris*, *Ilorci*, *Ilurbida*, *Ilurco*, *Ilurgi*, *Iluro*, & si quæ sunt alia

alia, de quibus singulis, si nobis esset agendum, nimium, quantum cresceret hic noster Tractatus. Consulto autem omisi *Iliam* urbem a Rase confictam, & alias hujusmodi.

8. Quid igitur dicemus significare IL? Existimo origine Hebraica retenta denotare Turrim; quæ altum est edificium, plerumque quadratum, aut rotundum. Et profecto turrium usus in Hispania frequentissimus fuit, & adhuc est; quod antiqui, & recentes Historici testantur. Atque ut incipiamus ab auctore *de Bello Hispaniensi*, *Lib. VI.* sic ait: *Accedebat huc, ut longius bellum duceret Pompejus, quod loca sunt edita, & ad castrorum munitiones non parum idonea. Nam fere totius ulterioris Hispaniæ regio propter terræ fecunditatem, inopem, difficilemque habet oppugnationem, & non minus copiosam aquationem. Hic etiam habet propter barbarorum crebras excursiones omnia loca, quæ sunt ab oppidis remota, turribus, & munitionibus retinentur, sicut in Africa, rudere, non tegulis teguntur, simulque in his habent speculas, & propter altitudinem longe lateque prospiciunt.* Certe hic agitur de turribus Ulterioris Hispaniæ, quia ibi tunc belligerabatur. Sed idem dicendum est de universa Hispania, de qua LIVIUS *Lib. XXII. c.* 19. ita scripsit: *Multas, & locis altis positas turres Hispania habet: quibus & speculis & propugnaculis adversus latrones utuntur.* Idem confirmat STRABO *Lib. III. pag.* 112. Posi-

sidonii testimonio alibi a me laudato. In multitudine Turrium comparat auctor de Bello Civili Hispaniam cum Africa. At vero in hac Enphratas turris memoratur a STRABONE *Lib. XVII. pag.* 575. *Turris Tamalleni* ab ANTONINO in *itinere a Tucapi Leptim: Turris* simpliciter ab eodem in itinere *a Turri Cæsaris Cirta.* In Hispania *Turrem Augusti* laudavit MELA *Lib. III. cap.* I. *Cæpionis munimentum* ab eodem MELA memoratum est, *la Torre de Chipiona. Turres* etiam collocantur ab ANTONINO in *itinere ab Emerita Cæsaraugustam*, quas aliqui volunt *Carrioncillo. Turres* idem memoravit in *itinere ab Arelate Castulone.* Turres Hannibalis in Africa, & Hispania celebravit PLINIUS *Lib. II. cap.* 71. quas idem appellavit *Speculas Hannibalis, Lib. XXXV. cap.* 14. docens videlicet Turrium usum, quem præter auctorem de *Bello Hispaniensi*, & LIVIUM antea laudatos, B. AMBROSIUS extulit *VI. Hexaemeron* 9. his verbis: *Latronum quoque caventur incursus, si exploratores in muris, in turribus sint locati, ut desuper spectent plana regionum, in quibus insidiæ latronum latere non possunt.* Merito itaque AMMIANUS MARCELLINUS *Lib. XXVIII. c.* 6. Valentiniani providentiam laudavit. Nam Alemannis, & Francis persultantibus, hanc cautionem suscepit. *At Valentinianus magna animo concipiens, & utilia, Rhenum omnem a Rhetiarum exordio ad usque Fretalem Ocea-*

ceanum magnis molibus communiebat, contra extollens altius, & castella, turresque adsiduas, per habiles locos, & opportunos, qua Galliarum appenditur longitudo. Sed quid externa loquor? Duravit hæc consuetudo ad hæc usque tempora. Nam Toparchæ solent habitare in Turribus, sive ædibus in Turrium forma ædificatis, ad sui suorumque tuitionem, iisque adjacere solent reliquæ domus. Plurimarum Turrium exempla, quas Jacobus Rex cognomento *Expugnator* Toparchis dedit, erudite congessit EMMANUEL MARIANUS RIBERA in *Centuria Regii Militaris Instituti Sodalicii B. Mariæ de Mercede Cent. I. §. 42. pag.* 161. *& seqq.* in quibus præter cæteras memorabilis est *Turris* dicta de *Espioca*, cujus meminit ESCOLANUS *Lib. VIII. Hist. Valentiæ c.* 21. *n.* 11. *col.* 890. Quapropter sicuti Celte Galli plurimis oppidorum nominibus vocabulum DVNVM adjecere; Hispani, sive Celte Hiberi vocem BRIGAM; Alemanni, BVRG; Mauri, BEN, & MEDINAM, cui respondent in Hispania PVEBLA, & VILLA, quæ in oppidorum nominibus frequentissime occurrunt: sic etiam antiquitus IL præpositum fuit, ut ædificia edita sive Turres significarentur: ut nostris temporibus similiter etiam contingere videmus in oppidis, *Torralva*, *Torrealta*, *Torrebaja*, *Torreblanca*, *Torrecilla*, *Torrechiva*, *Torreferrera*, *Torremocha*, *Torrellas*, *Torreja*, *Torrejon*, *Torrejoncillo*, *Torrijos*, *Torres*,

Tor-

Torrestorres, *Torreta*, *Torresomera*, *Torrosoles*, aliisque permultis, quæ denominantur a conditore, aut a loco, aut a flumine propinquo. Idque olim etiam contigisse credere debemus in oppidorum nominibus, in quibus IL invenitur.

CAPUT IX.

De mutatione vocis VR *in* IR, IRA, *aut* HIR, *eadem significatione retenta.*

1. SED redeamus ad nostrum VR, ut inde aliud iter ingrediamur. Ab VR facilis est transitus ad IR, vel HIR, vel IIR, quæ vocabula Hebraice idem significant, ac *civitas*, *urbs*, vel *oppidum*, teste ALPHONSO ZAMORA in *Dictionario*, *fol.* 115. *col.* 3. & BENEDICTO ARIA MONTANO in *Indice Biblico propriorum Nominum*, & CAIR lingua Trojana *civitas*, ut JOHANNES CAJUS ex GERVASIO TILBERIENSI. Scio SOLINUM *cap.* 26. scripsisse, *Pœnos lingua sua Gaddir, id est, septum nominasse*. Sed quid impedit nos conjecturam nostram proferre, *Gadir* etiam significare posse *lætam urbem*? *Hira*, & *Ira*, etiam significat civitatem, ut docet MONTANUS in *laudato Indice*, &, si credimus HIERONYMO PUJADES *Lib.* 1. *cap.* 14. significat civitatem minorem. Ex HIR itaque fortasse dicta *Hiruela*, & postea *Horihuela*, sive *Orihuela*

2.

2. *IRIA* Vasconum lingua eandem habet significationem, uti testantur ANDREAS POZA *de Antiquo Idiomate Hispanorum c.* 6. *fol.* 19. *pag.* 2. *fol* 20. *pag.* 1. & BALTHASAR DE ECHAVE in *Discursu antiquæ linguæ Cantabrorum fol.* 36. *pag.* 1. Quamobrem *Iria Flavia* idem est, ac *Oppidum Flavium*, & sita fuit in Ceporis, qui recensentur a PTOLEMÆO inter Callaicos Lucensios, qui populi fuerunt Hispaniæ Tarraconensis *Lib.* II. *cap.* 6. ob rationem, quam docuit MORALES *Lib.* IX. *cap.* 7. *fol.* 233. *litt.* c. cui subscripserunt GUNDIZALVUS ARGOTE DE MOLINA in *Nobilitate Andalusiæ*. *Lib.* II. *cap.* 148. *fol.* 273. *pag.* 1. ECHAVESIUS *laudato loco*, JOSEPHUS PELLICERIUS in *Lectionibus Sollemnibus ad Ludovici Gongoræ opera col.* 668. Atque hinc colligitur, ineptam esse etymologiam deductam a *Villa Petronii*; & explodendum etiam, quæ in *Chronico Iriensi* deducitur a *Castro Hylio*; cui nomen dedit Ylia Trojani Regis filia. Quod si non est delirare, nescio profecto quid aliud erit. Non me latet BERNARDUM ALDRETUM caussæ suæ servientem, Græcum etymon deducere tentasse *Lib.* III. *de Origine linguæ Castellanæ cap.* 3. *pag.* 297. Sed initio memorati capitis ipse dixit periculosam rem se suscipere.

3. *AGIRIA* occurrit in ANTONINI *Itinerario*, *in secundo itinere a Laminio Cæsaraugustam*, quæque mentio est singularis.

4.

4. *LIRIA* memorata a PTOLEMÆO *Lib. II. cap.* 6. ubi ait, *Edeta, quæ & Liria*. *Liria* igitur duo habuit nomina quorum unum fuit *Hedeta*, quæ nomen dedit Hedetanis; alterum, *Liria*, cujus meminit ALPHONSUS SAPIENS in *Chronico Generali Hispaniæ*, *fol.* 523. & ad hunc usque diem permanet.

5. *IRUNA* (hodie Pamplona) teste OIHENARTO in *Notitia utriusque Vasconiæ*, *Lib. II. cap.* 2. *pag.* 77. Vasconum lingua idem est ac *Urbs bona*; atque hoc nomen occurrit in veteribus monimentis sexcentos circiter annos antequam OIHENARTUS floreret, qui scribebat anno 1637. Hæc etymologia docet, quàm inepta sit illa, quam imprudenter finxit eruditissimus vir JOSEPHUS PELLICER, qui in nugacissimo *Apparatu ad Monarchiam antiquam Hispaniarum*, *Lib. II. num.* 9. *pag.* 55. scripsit: *a Pyrene Bebrycis filia vocatam fuisse Pyrenem, deinde Pyrunam, & tandem Irunam.* Nam notissimæ fabulæ novum figmentum non debuit addere contra præceptum Horatianum; & nemo unquam vel fabulando audivit *Pyrene*, *Pyruna*, esse urbium nomina.

6. Auctor anonymus *Quadringentorum Architalassi*, in IV. *Parte interrogationum Doctrinarum Moralium*, *interrogatione* 319. *fol.* 120. *col.* 3. ait:

Pamplona Martua llamarse solia.

Eodem modo vocaverat antea *Pompælonem*

MI-

MICHAEL VILLANOVANUS in *Notis ad Ptolemæum, Lib. II. cap.* 6. quæ appellatio nata fuit ex depravata lectione *Divisionis* Wambæ attributa, quæ *pag.* 135. apud LOAISAM sic habet: *Astures, & Vascones in finibus Cantabriæ crebro rebellantes, Wamba edomuit, & suo imperio subjugavit: Civitatem, quæ Cartua vocabatur, & Pampilonem ampliavit, quam* W*ambæ Lunam vocavit.* In quibus verbis *Cartua* distinguitur a *Pampilone*. Sed tamen imperitus aliquis hæc legens, *Cartuam* cum illa confudit, & fortasse in aliquo exemplari legebatur *Martua.*

7. Imperitius confictor dictæ *Divisionis*, qui Regem Wambam ait vocavisse *Pompælonem* W*ambæ Lunam*, scire debuit, Gothos nomina propria finita in A, ut *Egica, Tulga*, W*amba*, sic declinasse, *Egicanis, Tulganis*, W*ambanis*, itaque eam nominaset W*ambanis Lunam*. Verum, & antiquum hujus urbis nomen est *Pompælo*: quam scripturam probat lapis inscriptus, quem edidit LUDOVICUS PONSIUS ICART in *Excellentiis Tarraconis, fol.* 170. *pag.* 2. ubi mentio fit Semproniæ Placidæ Pompælonensis. AMBROSIUS MORALES qui Inscriptiones Tarraconenses ab eo se accepisse fatetur in *Antiquitatibus suis fol.* 64. *litt.* A. diphtongum omisit in eisdem *Antiquitatibus fol.* 69. *litt.* C. atque eum sequuti sunt Occo *pag.* 33. *n.* 10. CARUS *Lib. II. Antiquit. Hispal. cap.* 16.

fol.

fol. 78. *pag.* 2. MURATORIUS *tomo II. Novi Thesauri veter. Inscriptionum*, *pag.* 1073. *n.* 1. sed fidelius GRUTERUS *pag.* 325. *n.* 1. qui eandem Inscriptionem habuit a Clusio, & Schotti Schedis, quorum hic fuit oculatus testis. Idemque GRUTERUS *pag.* 455. *num.* 11. diphtongum repræsentavit in alia Inscriptione Barcinonensi, quam a Schotto habuit, qui proculdubio etiam eam vidit. ANTONIUS AUGUSTINUS in *epistola ad Hieronymum Zuritam*, *quæ legitur in Progressibus Historiæ Regni Aragonum a* DORMERIO *editis*, *fol.* 397. *col.* 1. *scribit*, sibi videri legisse *Pompael.* cum diphtongo. Quod vero ait in nummo Pompælonensi legi *Pompe* inquirendum est. Prima igitur vocalis addi debet *Itinerario* ANTONINI in *itinere ab Asturica Burdigalam*, ubi *Pompelo* scribitur. Itemque PLINIO *Histor. Nat. Lib. III. cap.* 3. ubi *Pompelonenses* nominat. Scio STRABONEM *Lib. III. pag.* 111. *Pompælonem* interpretatum fuisse *Pompeii urbem*; sed verbi sonitum, non veritatem sequutus est. Inscriptiones, quas edidit SANDOVALIUS in *Catalogo Episcoporum Pompælonensium*, *fol.* 2. & 3. sententiam hanc non infirmant: nam tabulæ quibus inscriptæ dicuntur, non comparuerunt, & earum stilus mihi suspectus est. Quare cum *Iruna* diceretur *Pompælo*; a sexto casu *Pompelone*, dicta fuit *Pampeluna* inclinante Latinitate: cumque Arabes caruerint littera P. vocarunt eam *Bambeluna*: &

ideo auctor *Divisionis* cerebrosam illam originem excogitavit. Illud quæri potest utrum nomen sit antiquius, *Pompælo* ne an *Iruna*? Crediderim illud, quia apud indigenas hoc prævaluit. Recentia autem nomina solent esse quæ prævalent.

8. *IRRUMBERI* etiam hodie *Lumbier* huc est referendum, & ut melius hoc intelligatur, sciendum est PLINIUM juniorem *Lib. III. epist.* 5. referre, avunculum suum C. Plinium nihil legisse, quod non excerperet. Jamdiu vero docti viri observarunt, notaruntque, ea quæ ex variis auctoribus excerpebat, litterarum ordine in Adversaria sua consuevisse conferre, ut facilius eadem reperire posset, cum usus exposceret. Ideo urbium, & oppidorum situs sæpenumero non locorum ordinato situ, sed alphabetica serie descripsit; idemque fecit in herbis, gemmisque, quia multo expeditius sibi erat litterarum ordinem in rerum nominibus servare, quam rerum invenire, & custodire. Hinc lectoribus magna rerum confusio sæpissime oritur; & plurimorum errorum caussæ. Hanc vero utilitatem habet hic litterarum artificiosus ordo, ut de multorum vocabulorum scriptura, de qua alioqui essemus dubii, nunc certi simus. Idque evincitur in *Lumberitanis*, quos ipse *Lib. III. cap.* 3. nominavit inter *Lunenses*, & *Lacetanos*. Quod nisi ita consuevisset facere, proculdubio crederemus nominari debere *Ilumberitanos*;

nos; nam Vasconum lingua *Irumberri* idem significat, ac *urbs nova*, Hispane, *Villanueva*, quæ nunc dicitur *Lumbier*, absque tertia vocali initiali, ut videre est apud SANDOVALIUM in *Catalogo Episcoporum Pompælonensium*, *fol.* 3. *col.* 3. & OIHENARTUM *Lib.* II. *de Notitia utriusque Vasconiæ*, *cap.* 2. *pag.* 90. Neque novum est, tertiam vocalem initialem adimi propriis locorum nominibus, ut variis exemplis manifestum faciam. Sic quæ PTOLEMÆO *Lib.* II. *cap.* 6. dicitur *Iaspis*, & in Contestanis ponitur, nominatur *Aspis* ANTONINO in itinere ab *Arelate Tarraconem*, & hodie dicitur *Asp*, ut recte observavit PETRUS JOHANNES NUNNESIUS in *Explanationibus ad Dionysium Afrum de Situ Orbis*, quem sequitur ESCOLANUS *Lib.* VI. *Historiæ Regni Valentiæ*, *cap.* 9. *num.* 12. *col.* 67.

9. *Ibalsa*, quæ bis ita nominatur a Marciano Heracleota in *Lusitaniæ periplo*, dicitur *Balsa* POMPONIO MELÆ *Lib.* III. *c.* 1. & a PLINIO *Lib.* IV. *cap.* 2. qui ibidem memorat *Balsenses*.

10. *Igletes* qui dicuntur STRABONI *Lib.* III. *pag.* 115. ab HERODORO *Lib.* X. quem *de Hercule* scripsit, dicuntur *Gletæ*, positi inter Cynetes, & Tartesios Aquilonem versus tendenti, ut videre est apud STEPHANUM BERKELIANUM in v. *Iberiæ*, & v. *Gletes*, & apud CONSTANTINUM PORPHIROGENETAM de *Administr. Imperii c.* 23.

Idem STEPHANUS nominavit eos *Tletas* ex Hecatæo, errore nato ex permutatione Γ in T.

11. *Ileosca*, quæ sic appellatur a STRABONE *Lib. III. pag.* 111. & corrupte *Etosca* a VELLEJO PATERCULO *Lib. II. c.* 30. *Osca* dicitur a reliquis scriptoribus, observante AMBROSIO MORALE, *Lib. VIII. c.* 19. conjecturam ejus confirmante PLUTARCHI testimonio in *Sertorio pag.* 333 ubi antequam Sertorii occissionem narraret, *Oscam* nominavit.

12. *Ilicitani* qui gentiles sunt *Ilici*, dicuntur *Licitani* a PAULLO *l.* 8. *de censibus*.

13. *Indara* Sicanorum urbs de qua THEOPOMPUS apud STEPHANUM in *Indara*, nominatur *Dera* apud eundem in hac voce. Male autem ISAACUS VOSSIUS ad MELAM *pag.* 189. ubi in AVIENI *Ora Maritima* PETRI MELIANI ℣. 474. legebatur:

Prima eorum (sc. Hiberorum) *civitas*
Ilerda surgit,

ipse legit *Idera*, Sicanorum urbs, cujus situs incertus est.

14. *Iturissa* sic dicta a POMPONIO MELA *Lib. III. cap.* 1. & PTOLEMÆO *Lib. II. cap.* 6. *Turissa* nominatur ab ANTONINO *in itinere ab Asturica Burdigalam*, de cujus situ videndus est OIHENARTUS in *Notitia utriusque Vasconiæ Lib. II. c.* 2. *pag.* 87.

CAP.

CAP. X.

De mutatione vocis UR *in* BURG, BERG, *aut* BORG, *cum eadem significatione.*

1. QUod si longius has origines deducere volumus, ab UR venit BURG, ab hoc BURGVS, & mutata U. in E. BERG, & in O, BORG.

2. Venit inquam BURG, vox Germanica, quæ lingua, ut constans est eruditorum opinio, plurimas habet Hebraicas dictiones. Neque hoc mirandum est, cum linguæ, quò antiquiores sunt, eò propius ad originem suam accedant. Constat autem Hebraicam cæterarum esse matrem. Equidem *Aciburgum* legimus apud TACITUM *de moribus Germanorum*, *cap.* 3. & *Eliburgam* apud STEPHANUM. Fuit autem *Eliburga*, urbs Tartessi auctore Hecatæo in Europa. Gentile *Eliburgius.*

3. A BURG dictus est BURGUS, quem VEGETIUS *Lib. IV. cap.* 10. *castellum parvum* interpretatur; & AMMIANUS MARCELLINUS *Lib. XXVIII. turrim.* Inde Glossæ CYRILLI *πύργος*, *turris*, *bugus*, ubi *Burgus* legendum. *Burgorum* meminit *lex eum* 6. *Cod. de fundis rei privatæ, & saltibus divinæ domus*, quæ desumpta est *ex lege actiones* 2. *Cod. Theod. de his, qui conditionem*

nem propriam reliquerunt; & *lex in nomine* 2. §. & *omnes* 4. *de offic. Praef. Praet. Africae. Burgarii* a *Burgis* dicti sunt, de quibus laudatus ISIDORUS, & ante eum *l. un. Cod. Th. de Burgariis*, quae lex ad Hispanias pertinet, ut intelligamus hos *Burgarios*, quos hodie dicimus *Torreros*, & *Guarda costas*, perantiquos esse in ora maritima; & eos, qui turri, sive castello praesunt, *Castellanos* appellamus.

4. Falso FRANCISCUS SANCTIUS BROCENSIS in Minerva *Lib. I. cap.* 7. *Burgum* a πύργος derivavit. Verum ex dictis constat quare *pyrgus* diceretur turris lignea in modum medii facta, quae in parte aveoli haerebat, in summo aperta, & gradus intus excisos habens, in imo vero foramen, quo thesserae effundebantur in tabulam, ut explicavit SALMASIUS in Solinum, *pag.* 70. Cum autem *Burgis* persaepe domus accesserint; mirandum non est aliquas urbes appellari *Burgos*: inter quas forte *Bursada* numeranda est, quae olim sita in Celtiberis, auctore PTOLEMAEO *Lib. II. cap.* 6. Hinc apud RUDERICUM TOLETANUM in *Historia Arabum*, *cap.* 9. *Burgus Sancti Justi* est omnibus notissima *Alcalà de Henares*, aedificata ex antiqui Compluti ruinis, ut docet JOSEPHUS PELLICER in *Syncello*, *pag.* 281.

5. Alia est *Byrsae* etymologia, quae ita dicta fuit a Poenis Africae occupatoribus. Venit enim a *Botsra*, quam vocem Syri, & Ara-

Arabes *Busra* pronunciant, & significat *arcem*. Ideoque apud ISAIAM *cap. XXXIV.* ℣. 6. & AMOS *cap.* I. ℣. 12. Idumæorum Byrsæ fit mentio. Atque eadem est ac illa quam memoravit AMMIANUS MARCELLINUS *Lib. XIV. cap.* 27. & Anonymus a Gothofredo editus, & est hodie *Basora*, quam juxta flumina Tigrin, & Euphratem collocat PETRUS TEIXEIRA *Lib. II. Relationum Regum Persarum, cap.* 2. Alterius etiam *Bosræ* civitatis Moabitarum fit mentio IEREMIÆ *cap. XLVIII.* ℣. 24. Cum autem *Byrsa* Grece corium significet (atque hinc venit Hispanum *bolsa*) inde fabula orta taurini tergi, cum agebat Dido de Carthagine condenda apud VIRGILIUM *Lib. I. Æneid.* ℣. 371.

Mercatique solum, facti de nomine Byrsam
Taurino quantum possent circumdare tergo,

uti recte admonuit JOSEPHUS SCALIGER in *notis ad Berosi fragmenta, pag.* 28. cujus observationem cum ignoraret eruditissimus ALDRETUS *Lib. II. de Antiquit. Hispaniæ cap.* 2. *pag.* 189. eam adjudicavit JOHANNI MARIANÆ in Scholiis *ad Genes. c. XXXV.* ℣. 22.

6. Mutata U. in E. idem significat BERG, ut videre est in *Isemberg*; quo fortasse pertinet *Bergidum Flavium*, cujus fecerunt mentionem PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. AN-

TONINUS *in tribus itineribus a Bracara Asturicam*, & Inscriptio apud APPIANUM *pag.* 16. MORALEM in *Antiquit. fol.* 65. *pag.* 1. OCCONEM *pag.* 31. *n.* 2. GRUTERUM *pag.* 478. *num.* 2. HIERONYMUM PUJADES in *Chronico Cataloniæ Lib.* IV. *cap.* 24. *f.* 165. *col.* 4. & NARCISUM FELIUM in *Annal. Cataloniæ Lib.* VI. *cap.* 7. *pag.* 112. quanquam BERG etiam significare solet *Montem*, ut apparet in *Bergia* Flandriæ, vulgo *Mons.*

7. *Birtha* etiam significat *arcem*, quod exemplis ex Sacra Scriptura petitis probat, & illustrat ALDRETUS in *Antiquit. Hispaniæ Lib.* II. *cap.* 2.

8. BORG, etiam significat Arabice *turrim* teste PETRO ALCALÀ in *Vocabulista*, & FRANCISCO TAMARID, *pag.* 262. *Compendii aliquorum vocabulorum Arabicorum, quæ in lingua Castellana introducta sunt*, quod edidi in *secundo volumine de Originibus linguæ Hispanæ.* Adde ESCOLANUM *Lib.* VII. *Historiæ Regni Valentiæ*, *cap.* 4. *num.* 5. & *cap.* 5. *num.* 7. unde in Regno Valentiæ *Alboraya*, & *Burjasot*, e quo oppido certo ficorum generi apud Italos, inditum nomen *Brogiotto*, non a *Borgia*, ut voluit ÆGIDIUS MENAGIUS in *Originibus Linguæ Italicæ v. fico.* Inde etiam *Alberge*, patria doctissimi viri Martini Vazquii Siruelæ præposito articulo Arabico *al*, & addita finali E, quæ frequentissima est terminatio Castellanarum vocum.

CAP.

CAP. XI.

Dubitatur quæ gens in Hispaniam introduxerit vocem UR; *statuiturque investigandum esse per Advenarum Colonias, & eorum linguas.*

I. HIS ita constitutis, investigemus qua ratione vox UR, quæ originem habet ab Hebraica lingua, tam longe lateque in Hispania propagata fuerit, cum necesse sit scire prius, quomodo in eam pervenerit: aliunde autem certissimum videatur, Hebræos in Hispaniam non venisse donec per orbem dispersi fuerunt post Hierosolymitanam, & postremam illam Betharamam cladem: de quibus consulendi sunt CELSUS apud Originem *Lib. VIII.* in fine, TERTULLIANUS *adversus Judæos cap.* 15. & in *Apologetico*, *cap.* 16. EUSEBIUS in *Chronico*, & in *Historia Ecclesiastica Lib. IV. cap.* 2. & 6. & GREGORIUS NAZIANZENUS *Orat.* 12. Oracula scilicet Divina eventum habuerunt ad manifestandum horribile supplicium ob occisum humani generis Servatorem. Non enim Judæi cum Nabucodonosore in Hispaniam venerunt, ut suadere voluit MEGASTHENES, scriptor mendacissimus apud STRABONEM *Lib. XV. pag.* 472. ubi legitur, magis etiam quam Herculem usque ad Columnas pervenisse, subscribente JU-

LIA-

LIANO PETRI, qui mirifice incrustavit hoc mendacium. Sed *credat Judæus Appel a, non ego.* Addo neque Judæorum aliquam multitudinem venisse cum Herode Antipa; licet enim exsul in Hispaniam advenerit A. Æræ Christianæ 37. ut refert JOSEPHUS *de Bello Judaico, Lib. II. cap* 9. illius comitatus non fuit hujusmodi, ut aut linguam Hebraicam introducere, aut Coloniam aliquam posset constituere. Denique nulla mentio Judæorum in Hispania existentium observatur nisi post Concilium Iliberritanum. Vox igitur UR per alios quàm Hebræos ad nos pervenit: & per eos quidem, qui in Hispania longe lateque dominati sunt, a quibus tot oppida, & urbes acceperunt nomina. Cui difficultati expediendæ ego ita existimo ocurri posse.

2. Ante omnia scire oportet quæ Nationes in Hispaniam venerint, quas Colonias instituerint, quæ nomina eis imposuerint: quæ posteaquam distincte, & clare proposuerimus; manifeste apparebit, cujus Nationis sint eæ Coloniæ, quarum nomina incipiunt per UR, aut in hanc desinunt terminationem aliquando cum aliqua productione, aut mutatione, pro cujusque idiomatis ratione, & analogia.

3. Qui primi Hispaniæ cultores, habitatoresque fuerint, omnino ignoratur. Unde advenerint etiam nescitur. Verisimile tamen est ex Asia profectos, paullatim processisse.

Vo-

Vocemus eos *Hispanos antiquissimos*, ut a reliquis advenis illos distinguamus; etsi *Hispaniæ* nomen multo sit recentius. Sed aliquod nomen eis attribuendum est.

CAP. XII.

De præcipuis Nationibus quæ in Hispaniam advenerunt: & primum dubitatur an Iberi adnumerandi sint.

1. IN *universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos, & Persas, & Phœnicas, Celtasque, & Pœnos tradit* apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 1. His addendi sunt Græci, Romani, Gothi, Arabes. De singulis ordine proposito videamus, ab Iberis incipientes.

2. APPIANUS ALEXANDRINUS in *Bello Mithridatico* tres opiniones refert. Prima est eorum, qui putant, Iberos Asiaticos esse colonos Europæorum, hoc est, Hispanorum. Secunda putantium contra, hos illorum. Tertia nomen tantum utrisque commune, cum nec in lingua sit quicquam simile, nec in moribus.

3. Primam opinionem, ut vidimus, retulit Varro apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 1. nullo auctore allegato in re antiquissima. Contrariam opinionem valde prædicavit Democritus, aliique Philosophi, qui inter alias gentium peregrinationes, ad majorem admira-

ra-

rationis vacuitatem parandam, quæ a stupore, ac perturbationibus liberat, referebat, *Iberos Occidentales in loca ultra Pontum, & Colchidem commigrasse*, ut ait STRABO *Lib. 1. pag.* 42. Et si vera est lectio Rufi Festi Avieni, quam edidit Cl. vir Petrus Melian, Poeta ille in *Descriptione Orbis Terræ* hanc opinionem confirmavit ita scribens a ỷ. 892.

Caspinam late terram superabluit unda
Euxinique subest tergum Salis, asper Iberus
Hîc agit: hîc olim Tyrrhenide pulsus ab ora
Cespitis Eoi tenuit Sola: ceu vaga sæpe
Fors rapit exactos.

Ubi oram Hispanicam nominasse videtur Tyrrhenidem: quod mirum non est, cum idem mare dicatur etiam *Tyrrhenum*. Certe Latinus Pacatus in *Panegirico* dicto Theodosio Augusto, de Hispania loquens, *cap.* 4. ita scripsit: *Quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æstibus, inde Tyrrheni maris litoribus coronata naturæ sollertis ingenio velut alter orbis includitur.* Et disertius OROSIUS Hispanus *Lib. 1. cap.* 2. ita scripsit: *Europæ in Hispania Occidentalis Oceanus terminus est, maxime ubi apud Gades insulas Herculis Columnæ visuntur, & Tyrrheni maris faucibus Oceani æstus immittitur:* & inferius *eodem cap. Hispania universa terrarum situ trigona est, & circumfussione*

Ocea-

Oceani, Tyrrhenique pelagi pene insula efficitur, & paullo post *Hispania Ulterior habet ab oriente Vaccæos, Celtiberos, & Oretanos, a septentrione Oceanum, a meridie Gaditanum Oceani Fretum: unde mare nostrum, quod Tyrrhenum vocatur, immittitur*. B. PAULINUS *Poemate x. ad Ausonium*, Hispaniam laudans, ℣. 234. & seqq. ita cecinit:

Quid numerem egregias terris, & mœnibus urbes,
Qua geminum felix Hispania tendit in æquor,
Qua Bætis Oceanum, Tyrrhenumque auget Hiberus,
Lataque distantis pelagi divortia complet,
Orbe suo finem ponens in limite mundi?

Ubi tertium versum sic restituit MURATORIUS ne in syllabam peccetur:

Qua Bæti Oceanum, Tyrrhenumque auget Hibero.

& antiquum epigramma apud GRUTERUM, *pag.* 690. *num.* 5. sic ait:

Illic unde Tagus, & nobile flumen Hiberus
Vorsum ortus, vorsum occasus, fluit alter & alter
Stagna sub Oceani Tagus, & Tyrrhenica Hiberus.

Hinc apparet jure optimo Tarraconem in nummis *Tyrrheniam* dici, quo etiam modo vocavit eam AUSONIUS ad PAULINUM *epist.*

pist. XXIV. ℣. 88. & STEPHANO BYZANTINO, *Gymnesiæ*, id est, Baliares, sunt, *duæ insulæ circa Tyrrheniam*, id est, Tarraconem, nam si intelligeretur *mare*, non dixisset *circa* sed *in*. Atque hinc lucem accipit RUDERICUS TOLETANUS *Lib. III. cap.* 20. cujus hæc sunt verba: *Abaris*, *&* *Succaris*, *quæ oriuntur in territorio Segontinensi Toletanæ Provinciæ in Rhenum retentis nominibus dilabuntur*. Ubi *Abaris* est *Turia* flumen, quod vocamus *Guadalaviar*, ab Arabica dictione *abiat*, quæ album significat, & articulo præpositivo *al*, cui anteponitur *guid*, id est, flumen; ut dicatur *Guid-al-abiad*, unde nostrates suavius, *Guadalaviar*, quasi dixeris, *flumen aquarum albarum*. Notum autem est Turiam nasci prope Sucronis fontes, ut admonuit ESCOLANUS *Lib. VII. Hist. Regni Valentiæ*, *cap.* 1. *n.* 6. *col.* 276. *&* *Lib. VI. cap.* 24. *num.* 6. *col.* 214.

4. Præcedentia testimonia confirmare videntur, qui ajunt, Hiberos Hispanos cognominatos fuisse ab Hibero amne, ut JUSTINUS *Lib. XLIV. cap.* 1. LUCANUS *Lib. IV.* ℣. 23. CHARAX PERGAMENUS laudatus a CONSTANTINO *de Administrando Imperio*, *cap.* 24. PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. SOLINUS *cap.* 26. VIBIUS SEQUESTER *de Fluminibus*, STEPHANUS BYZANTINUS *v. Iberiæ*, PHILOSTORGIUS CAPPADOX *Lib. IX. c.* 17. SERVIUS *ad Lib. XI. Æneid.* ℣. 913. S. HIE-

HIERONYMUS *in Isaiam cap.* 66. Q. CURTIUS *Lib. x. cap.* 1. S. ISIDORUS *Etymol. Lib. IX. cap.* 2. NICEPHORUS CALLISTI *Lib. XII. cap.* 1. AMMIANUS MARCELLINUS *Lib. XXIII. pag.* 270. Et si fabulæ nituntur aliqua veritate Historica, adjungi potest argumentatio a pari. Nam si Albani Itali Herculem sequuti Geryone extincto in Hispania, condiderunt Albaniam, ut refert JUSTINUS *Lib. XLII. cap.* 3. etiam eum sequi potuerunt Hiberi Hispani, & condere Iberiam Asiaticam. Illud certum est, apud HERODOTUM Historiæ parentem antiquiorem esse mentionem Hiberorum Hispanorum quam Asiaticorum, cum nostram mentionem fecerit agens de Phocensium in Hispaniam adventu *Lib. I. cap.* 163. sexcentis videlicet annis ante Jesu Christi natalem.

5. Sed tamen ex his duabus opinionibus neutra mihi placet. Prima enim nulla ratione probari potest, verisimilius esse Iberos Asiaticos Colonias in Hispaniam deduxisse, quam Hispanos in Asiæ Provinciam, quæ nunc dicitur *Georgia*, & antiquitus, *Iberia*. Nam solum considerare orbem terrarum incoli coeptum ab oriente ad occidentem, hoc concedi debet necessarium fuisse in primis gentium divisionibus; & concedi potest plerumque contigisse in transmigrationibus per mediterraneum factis, non vero per navigationes, quæ liberiores sunt, quæque fieri non possunt ubi oræ maritimæ non sunt;

&

& ubi sunt, longiores esse possunt: ut taceam Historiam non esse rerum quæ videntur verisimiliter contigisse per rationem aliquam generalem; sed earum rerum, quæ vere contigerunt. Et vero scire cupio, navigandone, an itinera terrestria peragendo, Iberi Asiatici in Hispaniam venerint? Per mare vix credi potest ob navigationis difficultatem iis temporibus, quibus genus humanum longe lateque propagatum, divisumque in regiones innumerabiles, montibus, fluminibus, imperiis, linguis, moribus, legibusque distinctas, nihil minus curabat, quam navigationem; &, si quam suscipiebant aliquæ nationes (perpaucæ quidem) eam brevissimam peragebant; quia nauticæ acus usum nullo modo agnovere, saltem illæ quæ a prima gentium divisione multis sæculis distabant. Multo minus per continentem venerunt, cum adeo inter se distarent, & orbis terrarum plenus esset tot nationibus barbaris, feris, & a commercio alienis. Præterea Iberi Asiatici adeo ignoti fuerunt, ut prima, & antiquior illorum mentio sit ea, quæ apud Herodotum occurrit tempore Cyri, qui regnare cœpit 557. annos ante Natalem Christi. Et Romani, quorum imperium latissime patuit, Iberos non agnoverunt usque ad Bellum Mithridaticum, de quo FLORUS *Lib. III. cap.* 5. Quid hæc miramur, cum ipse Herodotus, Historiæ parens, & ætate sua omnium Græcorum sapien-

pientissimus *Lib. IV. cap.* 45. aperte fateatur, Europam a nemine investigatam esse, neque qua ad orientem, neque qua ad aquilonem vergit, an mari *claudatur.* Ipse autem scribebat initio Belli Peloponesiaci, & ob prælectam suam Historiam corona donatus est Olympiadis 83. anno 3. u. c. 311. ante Christi Natalem 443.

6. Itaque quod PLINIUS memorat de Iberorum in Hispaniam adventu æque falsum videtur ac quod Democritus dixit de Iberorum Occidentalium migratione in loca ultra Pontum, & Colchidem. AVIENI autem testimonium facile eludi potest: nam ubi MELIANUS edidit *Tyrrhenide pulsus ab ora*; NICOLAUS ANTONIUS in *notulis* ad hunc Geographum, & Marchio Mondexarensis in notatiuncula marginali quam habeo ego ejus manu scriptam legerunt, *Pyrenide* & merito: nam, ut ego existimo, AVIENUS, ut sæpe alias, Dionysium Afrum descripsit, qui interprete Prisciano, vel ut voluit PETRUS JOHANNES NUNNESIUS, *Rhamnio Fannio Grammatico*, ℣. 684. ita scripsit:

Diffusus spatium per longum panditur Isthmos;
Quem juxta terras habitant orientis Iberes,
Pyrhenes quondam celso qui monte relicto
Huc advenerunt Hyrcanis bella ferentes.

Ubi DIONYSIUS AFER ait, Iberos Orientales inimicos Hyrcanorum descendisse ex monte

te Caucaso, & coloniam deduxisse in Regionem, quam nunc dicimus *Georgiam*. Caucasum autem Dionysius nominavit Pyrenæum: quemadmodum Seneca montem, qui hodie dicitur Brennet *in Consolatione ad Helviam*, *cap.* 6. & PLINIUS in *Trajani Panegyrico cap.* 14.

7. Tertia igitur opinio ab APPIANO relata est vera. Et licet facile concedam, fabulosam esse narrationem, quam apud TACITUM *Lib. VI. Annal. cap.* 34. Iberi Asiatici referebant, *se Thessalis ortos qua tempestate Jason post avectam Medæam, genitosque ex ea liberos, inanem mox regiam Aeetæ, vacuosque Colchos repetivit*: tamen hoc arguit, ipsos Iberos originem suam ignorasse. Uniformitas vocis ex eo provenire potuit, quòd utrisque aptata fuerit ob significationis proprietatem. Quod facile apparebit, si animadverterimus, nomen *Iberus* significare idem ac qui ultra habitat, sive habitet ultra mare, aut amnem, sive ultra montem, ut colligi videtur ex STRABONE *Lib. III. pag.* 114. & PLUTARCHO *in Marcello pag.* 299. atque hoc sensu Georgiani sunt Iberi, hoc est ultramontani; & Hispani etiam respectu Celtarum Galliæ: & vocabulum *Iberus* est Celticum. Quod si hæc alicui displiceant, scire debet esse posse aliam hujus vocabuli originem, quam STRABO *Lib. XI. pag.* 343. indicavit ita scribens: *Ajunt apud hos* (Iberos Asiaticos) *etiam au-*

rum

rum deferri a torrentibus, idque barbaros excipere alveolis perforatis, & velleribus lanosis: unde etiam aurei velleris exstiterit fabula: nisi forte Iberos occiduis Hiberibus (qui Hispani sunt) *cognomines vocant, ob auri utrobique metalla*. Et si hoc aliter se habet, profitens me ignorare hujus vocabuli significationem, dicam rem esse fortuitam vocabulum esse idem in tam dissitis locis, ut evenit in mille aliis, quin alia ab aliis dependeant. In cujus veritatis confirmationem duo exempla afferam.

8. Ecce primum. Iberi Asiatici habitant hodie regionem, quæ *Georgia* nominatur: & Angli apud Indos Coloniam habitant recentissimam ejusdem nominis. An igitur quia nomina sunt eadem, dicemus Iberos Asiaticos condidisse *Georgiam* Anglicam, aut Anglos Asiaticam? nomina quidem sunt ejusdem soni, sed diversarum originum, ut notissimum est.

9. Secundum exemplum est hoc. Nomen *Simon*, hebraicum est, ut omnes sciunt. Christi Religione propagata per omnem orbem Christianum, nomen illud extensum fuit: & cum in Hispania, posteaquam a Mauris expugnata fuerat, in ejus locum substituta fuerunt nomina, *Eximinus*, *Sciminus*, *Eximenus*, *Scimenus*, unde Hispanum prænomen, *Gimeno*, & per apocopem, *Gimen*; mulieres etiam vocatæ fuerunt, *Eximina*, *Scimina*, *Ximena*: & cum frequen-

tissimum fuerit; communicatum fuit oppidis, & nominatim Villæ, (hoc est oppido magno, nam in Hispania coloniarum gradus hi sunt, *aldea*, *oppidum*, *villa*, oppidum inter vicum, & urbem; *ciudad*, civitas, sive urbs.) Villæ, inquam, quæ sita est inter Rondam, & Calpen, hodie *Gibraltar*. In Ponto Euxino etiam est regio vocata *Ximena* prope Amasæam, patriam STRABONIS Geographorum principis, qui ejus meminit *Lib. XII. pag.* 386. An idcirco dicemus Ximenios Ponticos colonos fuisse Ximenæ Bæticæ?

10. Ex dictis colligitur difficillimum videri, Iberos Asiaticos in Hispaniam pervenisse, & dedisse nomen amni celeberrimo, a quo Hiberia vocata dicitur. Sed licet concedamus venisse; nemo probabit coloniam aliquam deduxisse: nam Municipium *Hibera* eandem interpretationem accipit, ut videlicet intelligatur esse urbs *ultra amnem* sita. Vel potius dicendum est ab amne nomen accepisse. Et vero si immorari diutius vellemus in hoc argumento, quæreremus etiam an fluvius *Arago* qui Aragonibus nomen dedit, dederit etiam *Arago*, Iberiæ Asiaticæ fluvio de quo STRABO, *Lib. XI. pag.* 345. sed cum babeant eundem sonitum, licet longe diversam originem; non vacat in hujusmodi rebus tempus absumere; præsertim cum *Aragoniorum* nomen ante VI. Justini Imperatoris annum non legatur, de

de quo vide Johannem Biclarensem, de cujus lectione etiam dubitatur.

CAP. XIII.

An Persæ in Hispaniam advenerint.

1. AIT VARRO apud PLINIUM *Lib. III. cap. 1. Persas in Hispaniam pervenisse.* Quod fabulosum censeo. Hæc enim opinio originem habere videtur ex eadem illa quam Afri habuerunt de Herculis in Hispaniam adventu, comitantibus eum multarum nationum gentibus, & nominatim Persis. Audiamus SALLUSTIUM *de Bello Jugurthino cap. 21. Posteaquam in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, interiit: exercitus ejus compositus ex variis gentibus, amisso duce, multis sibi quisque imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persæ, & Armenii, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere.* Verum continuo subjungit, *Sed Persæ intra Oceanum magis: iique alveos navium inversos pro tuguriis habuere: quia neque materia in agris, neque ab Hispania emendi, aut mutandi copia erat. Mare magnum, & ignara lingua commercium prohibebant.* Si Oceanus igitur, & linguæ ignoratio, commercium prohibuerunt; qui fieri potuit, ut in Hispaniam Persæ advevenerint, & in eam colonias deduxerint

præsertim cum ipse adventus Herculis inter fabulas connumerari debeat? Nam idem PLINIUS qui ex M. Varrone retulit, *Persas in Hispaniam pervenisse*; continuo hæc subjunxit. *Lusum enim* (vetusti codices STRANEO teste *Lysam* habent) *Liberi Patris, aut Lysiam cum eo bacchantem nomen dedisse Lusitaniæ, & Pana Præfectum ejus universæ* (Hispaniæ): *at* (omnino legendum puto, *ac*, ut præcedentia cum sequentibus secundum Grammaticæ regulas connectantur) *quæ de Hercule, ac Pyrene, vel Saturno traduntur, fabulosa imprimis arbitror*, atque ita PLINIUM intellexisse videtur MARCIANUS CAPELLA, qui *Lib. VI. cap. de divisione Terræ*, ita scripsit: *Bæticæ a septentrionali confinio Lusitania sociatur, cui nomen fabula a Lusu* (legendum *Lysa*, aut *Luso*) *Liberi Patris, vel cum eo Bachantium sociavit*. Qua igitur ratione fit, ut in Vasconum lingua multa vocabula videantur esse eadem ac Persica? Eâdem scilicet, qua videntur alia, Hebraicis similia. Nimirum Populi montani, & inaccessi, tenacius quam alii priscam linguam retinuerunt: linguæ autem quò vetustiores sunt, eò similiores, quia omnes ex una provenerunt, divinitus, ut credere par est, solummodo confusis vocabulis, quæ societati in Turri Babylonica retinendæ inservire poterant. Et quid prohibet, quominus dicamus, olim fuisse aliquam linguam, quam illi qui illam loquebantur, vi-

victoriis suis longe lateque propagarunt, ut credi potest de Scythica, ita suadente ELICMANO apud SALMASIUM *epist.* 49. Equidem Indi a Scythis oriundi, & propterea dicti *Indo-Scythæ* plurima Scythica vocabula retinent: & in recenti Persarum lingua conservantur voces illæ quas CTESIAS memorat, observante SALMASIO ad Severi Sulpicii *Sacræ Historiæ Lib. II. pag.* 304. An dicemus Sidonios a Persis victos, ut testatur MELA *Lib. I. cap.* 12. Persicas voces in Hispaniam invexisse? Utut autem sit, in Hispania nullam Persarum agnoscimus Coloniam, nisi forte quis ad eos velit referre Amanum Portum, de quo PLINIUS *Lib. IV. cap.* 20. & de Amano, sive Sole, Persarum Deo, aliquid conjicere velit. Sed non vacat in his tempus terere.

CAP. XIV.

De Phœnicum in Hispaniam adventu, & de illorum Coloniis.

1. FAbulis igitur rejectis, operæ pretium faciemus, si ordine temporum servato, de nationibus antiquissimis quæ in Hispaniam colonos adduxerunt, verba fecerimus, ea quæ sparsa sunt, diligenter colligentes: Incipiamus igitur a Phoenicibus.

2. PLINIUS *Lib. V. cap.* 12. ita scripsit:

Syria litus occupat, quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus. Namque Palæstina vocabatur, qua contingit Arabas & Judæa, & Coele; dein Phœnices: & qua recedit intus, Damascena: ac magis etiam num meridiana, Babylonia. Et eadem Mesopotamia inter Euphratem & Tigrim: quaque transit Taurum, Sophene: citra vero etiam Comagene. Et ultra Armeniam, Adiabene, Assyria ante dicta: & ubi Ciliciam attingit, Antiochia. Deinde post Syriæ dimensionem addit. *Qui subtiliter dividunt, circumfundi Syria Phœnicen volunt, & esse oram maritimam Syriæ, cujus pars sit Idumæa, & Judæa; deinde Phœnicæ, deinde Syria. Id quod projacet mare totum, Phœnicium appellatur. Ipsa gens Phœnicum in gloria magna litterarum inventionis, & siderum, navaliumque, ac bellicarum artium.* Ad Phoenicen vero quod attinet, consonat SCYLAX CARYANDENSIS, qui in Periplo agens de Syria, & Phoenice, ait: *Syriæ vero tractum littoralem habitat Phœnicum natio.*

3. Phoenicia ita dicta fuit ab ejus conditore Phoenice Cadmi fratre, qui, ut ait B. ISIDORUS *Etymol. Lib. XIV. cap. 3. de Thebis Ægyptiorum in Syriam profectus, apud Sidonem regnavit, eamque provinciam ex nomine suo Phœniciam appellavit.* Adde Pindari Scholiasten, & STEPHANUM in *Phœnice.* Hoc nomen in Sacris Litteris ignotum est,

est , ubi Phoenice comprehenditur sub terra Chanaan. Chananæorum autem termini erant Sidon ejusdem regionis urbs princeps ; & Gaza, ut narratur *Genes. cap.* 10. ℣. 19. HERODOTUS *Lib. II. cap.* 104. Phoenices & Tyrios in Palæstina collocavit. Idem *Lib. VII. cap.* 89. dixit, *Phœnicas cum Syris Palæstinam incolere* : & paullo post adjunxit : *Hi Phœnices (ut ipsi memorant) quondam mare rubrum accolebant. Illinc transgressi maritima Syriæ habitant. Is autem tractus Syriæ, & quicquid Ægypto tenus est, Palæstina vocitatur.* Consonat Dionysius Alexandrinus ita Phoenices describens :

Pars media nam sede colit, Syriique vocantur :
Pars maris ad fluctus Phœnicum nomine dicti,
Gentis Erythrææ soboles a semine ducta.
Hi primi rudibus tentarunt navibus æquor,
Mercatumque vagas primi instituere per undas,
Concitaque æterno viderunt sidera cursu.
Quique Jopen, Gazamque colunt, & Elaidis arces
Antiquamque Tyron, qui te Berytos amœna
Littora qui Bybli, qui florida rura Sidonis,
Bostreni nitidos habitant ad fluminis amnes,

Et pinguem Tripolin, Orthodosidaque, Marathæusque.

Quam descriptionem sic nobis Latine, & eleganter reddidit FESTUS AVIENUS duriusculus alioqui versificator in *Descriptione Orbis Terræ a versu* 1073.

Salso quidquid pulsatur ab æstu,
Phœnicum regio est, hi rubro a gurgite quondam
Mutavere domus, primique per Æquora vecti,
Lustravere Salum, primi docuere carinis
Ferre cavis Orbis commercia, Sydera primi
Servavere Poli. Populis Phœnicibus ergo
Urbs Jope sterilisque dehinc habitatur Elais,
Gazaque proceris adsurgens undique muris.
Hic Tyrus est opulens, & Berytus optima, Byblos,
Sidoniique Lares; ubi labens agmine amœno
Cespitis inrigui Bostrenus jugera findit.
Nec minus hic Tripolis pingui sola porrigit agro.

Elegantissima est etiam, & nostro proposito aptissima Pomponii Melæ descriptio *Lib.* I. *cap.* 12. *Phœnicen* (inquit) *illustravere Phœnices, sollers hominum genus, & ad belli pacisque munia eximium. Litteras, & litterarum operas, aliasque etiam Artes, maria navibus adire, classe confligere, imperi-*

ritare gentibus, regnum prœliumque commenti. In ea est Tyros, aliquando insula, nunc annexa terris deficit. Ab impugnante quondam Alexandro jacta opera. Vici tenent ulteriora; & adhuc opulenta Sidon, antequam a Persis caperetur, maritimarum urbium maxima. AMMIANUS etiam MARCELLINUS cum descripturus esset Phoeniciam, familiarem sibi duritiem emollivit *Lib.* XIV. *Post hanc* (inquit) *acclivis Libano monti Phœnice Regio plena gratiarum, & venustatis, urbibus decorata magnis, & pulcris, in quibus amœnitate, celebritateque hominum Tyrus excedit, Sidon, & Berytus: iisdemque pares Emissa, & Damascus sæculis conditæ priscis.* Merito itaque ULPIANUS Phoenicen ut armipotentem laudavit, *l.* I. *de censibus*: & Phoenicum acumen POSIDONIUS celebravit, reprehensus tamen a STRABONE quod alicubi fatuitatem illis imputavit, *Lib.* III. *pag.* 119.

4. Ad Litterarum vero inventionem quod attinet, caute LUCANUS *Civil. Belli Lib.* III. ỷ. 220. ita cecinit:

Phœnices primi, famæ si credimus, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: & saxis tantum, volucresque, feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Item-

Itemque CURTIUS *Lib. IV. cap. 3. Si famæ libet credere, hæc gens* (Tyria scilicet) *litteras prima, aut docuit, aut didicit.* Non enim Phoenices litterarum inventores fuerunt; sed eas in Græcias intulerunt, ut HERODOTUS memorat *Lib. V. cap.* 58. Eas Phoenicii acceperunt a finitimis Ægyptiis, hi ab Assyriis: & verus, non fictitius liber Enochi, a B. Paullo laudatus illas ante diluvium in usu fuisse probat. Utut sit, sic B. EUGENIUS Episcopus Toletanus de litterarum inventoribus:

Moyses primus Hebræas exaravit litteras.
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitarunt, edidit Nicostrata.
Abraham Syras, & idem reperit Chaldaicas
Isis arte non minori protulit Ægyptias
Gulfila promsit Getarum, quas videmus ultimas.

5. Nec idcirco Phoenicibus sua gloria minuitur, cum eorum duæ urbes prestantissimæ, Sidon, & Tyrus litterarum, utilissimarumque Artium peritia maxime floruerint, ut videre est apud STRABONEM *Lib. XVI. pag.* 520. & 521.

6. Prætereo Tyri fabulosam antiquitatem apud Herodotum, qui *Lib. II. cap.* 44. refert se venisse in colloquium cum Herculis Ty-

Tyrii Sacerdotibus, a quibus accepit, a Tyro condita ad suum usque tempus profluxisse annorum duo millia & trecentos. Cum autem Herodotus Christi natalem præcesserit 480. annis, necesse esset ut Tyrus condita fuerit duobus millibus septingentis & octoginta annis antequam Christus nasceretur, sive anno a Creatione Mundi 1220. qui Diluvium universale præcessit plusquam quadringentis triginta sex annis. Miror insipientes illos Sacerdotes non fecisse Tyrum antiquiorem, a chimericis videlicet Præadamitis habitatam, cum *præcedenti cap.* idem HERODOTUS ita scripserit: *Vetustus quidam Deus est apud Ægyptios, & (ut ipsi ajunt) decem, & septem annorum millia sunt ad Amasin Regem, ex quo Herculem ex octo Diis, qui duodecim erant, unum esse arbitrantur.* Prudenter itaque JOSEPHUS *Antiquit. Judaicar. Lib.* VIII. *cap.* 3. scripsit: *A Tyri autem conditu usque ad exstructionem Templi* (Hierosolymitani) *elapsi sunt anni quadraginta & ducenti.* Templum condi coeptum anno Periodi Julianæ 3706.: deductis 240. manet annus Tyri conditæ 3466. qui vix est quadragesimus ante excidium Trojæ. JOSEPHO assentitur EUSEBIUS CÆSARIENSIS in *Chronico*, *pag.* 88. Et ex utroque colligi potest, quam rationem inire potuerit Justinus Trogi Pompeii abbreviator, qui *Lib.* XVIII *cap.* 3. ita scripsit: *Post multos deinde annos a Rege Ascaloniorum ex-*

pu-

pugnati, navibus appulsi, Tyron urbem ante annum... Trojanæ cladis condiderunt. Tyri mercaturam celebravit ISAIAS *cap.* 23. divitias, ZACHARIAS *cap.* 9. pulcritudinem, EZECHIEL *cap.* 23. Mercatura, divitiæ, & urbis pulcritudo provenerunt ex navigandi peritia; cujus inventio tribui solet Tyriis. Itaque Sanchoniaton apud EUSEBIUM CÆSARIENSEM *Præparationis Evangelicæ Lib.* 1. *cap.* 10. fabulose narrans Phoenicum inventa, ait, *Usoum quendam Tyrum, ex arbore, cujus ante ramos amputaverat, navigii loco usum, nequaquam sese mari nullo licet exemplo committere dubitavisse*, quò alludens TIBULLUS *Lib.* 1. *Eleg.* 7. dixit.

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Sed Noëmi arca navigandi usum docere potuerat, ut taceam ligna super aquam natantia, quæ observatio proculdubio Usoum præcessit. Præterea navigationis inventio perperam Tyro tribuitur, cum Sidon Tyro antiquior fuerit, utpote condita a Sidone Chanaanis primogenito, GENES. *cap.* 10. ℣. 15. (Piscem Phoenices *Sidon* vocant, teste JUSTINO *Lib.* XVIII. *cap.* 3. *Sidon* autem sic dictus est vel ob natandi, vel ob navigandi peritiam, ut ego puto) & ante Tyrum conditam tota Phoeniciæ ora Sidoniorum nomine celebraretur, DEUTER. *cap.* 3. ℣. 9. Ideoque LXX. Interpretibus Sidonim sunt Phoenices; & apud ISAIAM *cap.* 23. ℣. 2. Sidon dicitur Phoenice; & ℣. 12. *Tyrus filia Si-*

Sidonis. Ad nostrum autem propositum tam Sidonii, quàm Tyrii pertinent, cum hi prius in Hispaniam, postea Carthaginienses Sidoniorum progenies advenerint, quod idem est ac si dicamus, Phoenices, & Poeni, à Phoenicibus Sidoniis orti.

7. Sed ut initium faciam a prima Phoenicum colonia in Hispania; DIODORUS SICULUS, secundum Laurentii Rhodomani interpretationem quam solam habeo, *Lib. V. Bibliotechæ cap.* 20. ita scripsit: *Phœnices a vetustissimis inde temporibus frequenter crebras mercaturæ gratia navigationes instituerunt. Quo factum ut multarum in Africa Coloniarum, nec paucarum in his Europæ partibus, quæ ad occidentem vergunt, auctores fierent. Cumque incœpta ex animi sententia cederent, magnis ditati opibus, extra quoque Columnas Herculis in mare, quod Oceani nomen habet, excurrerunt. Ac primum juxta ipsum ad Columnas Fretum, in Europæ peninsula urbem posuere, Gades nuncupatam. In qua cum alia loco isti congrua, tum Fanum Herculi sumtuosum, cum sacris magnificis Phœnicum ritu peragendis, instituerunt. Templum hoc ut priscis, ita recentioribus etiam seculis, ad nostram usque ætatem, in summa veneratione habitum fuit: adeo ut multi etiam Romanorum, nobilitate, ac magnitudine rerum gestarum illustres viri, Deo illi vota nuncuparint, negotiisque feliciter confectis exsolverint.*

8.

8. Ait DIODORUS (cujus narrationem explanabo) *Phœnicas a vetustissimis inde temporibus frequenter crebras mercaturæ gratia navigationes instituisse.* Id confirmat HOMERUS *Odysseæ Lib.* XV. canens

Illuc autem Phœnices navibus inclyti venerant viri
Ingeniosi infinitas ducentes res ludicras nave nigra.

Et Phoenicum mercaturam jam vidimus celebrare ISAIAM *cap.* 23.

9. *Quo factum est* (prosequitur DIODORUS) *ut multarum in Africa Coloniarum, nec paucarum in his Europæ partibus, quæ ad occidentem vergunt, auctores fierent.* Hoc ipsum docuit B. ISIDORUS *Etymol. Lib.* XV. *cap.* I. his verbis: *Phœnices a Rubro profecti mari Sidonem urbem opulentissimam condiderunt: quam a piscium copia Sidon appellaverunt. Nam piscem Phœnices Sidon vocant. Ipsi etiam Tyrum in Syria: ipsi Uticam in Africa, Hipponem, Leptim, aliasque Urbes in ora maritima condiderunt. Ipsi Thebas in Bœotia duce Cadmo: ipsi postremo in ultima Orbis tendentes urbem in oceano construxerunt, eamque lingua sua Gades nominaverunt. Nam mos erat antiquus Phœnicum gentis, multos simul mercandi caussa a domo proficisci, & cum incolarum animos commercio rerum iis ante incognitarum sibi conciliassent; loca quæ condendis urbibus idonea videbantur, capere. Ex iis profecta & Dido*

do in litus Africæ, urbem condidit, & Carthadam nominavit, quod Phœnicia lingua exprimit Civitatem novam: mox sermone verso Carthago est dicta: hanc Scipio delevit. Quæ autem nunc est, postea a Romanis condita est. Carthago autem antea Byrsa, post Tyrus dicta est; deinde Carthago. Adde SALLUSTIUM de *Bello Jugurtino, cap.* 22. & TERTULLIANUM *Lib. de Anima cap.* 30.

10. Pergit DIODORUS, & ait: *Cumque incœpta ex animi sententia cederent, extra quoque Columnas Herculis, in mare, quod Oceani nomen habet, excurrerunt.* Consonat ARISTOTELES *de Mirabil. auscultationibus, cap.* 163. *Phœnices ajunt, qui Gadiram inhabitant, dum ultra Columnas Herculis navigarent, vento subsolano impulsos ad regiones quasdam applicuisse ulva algaque plenas, quæ æstibus maris rigantur, exundationibus vero prorsus obruuntur aquis. Thunnorum copiam isthic innumerabilem inveniri tradunt, magnitudine, densitateque incredibili, quos salsos vasis impositos Carthaginem deportant, unde soli non avehuntur, sed ob singularem bonitatem plane absumuntur.*

11. *Ac primum* (ait DIODORUS) *juxta ipsum ad Columnas Fretum in Europæ peninsula urbem posuere, Gades nuncupatam. Ac primum*, inquit DIODORUS, *ab Iliaca scilicet tempestate*, ut refert POMPONIUS MELA, Hispanus *Lib. III. cap.* 6. Paullo aliter VELLEJUS PATERCULUS *Lib. I. cap.* 2.

 Ea

Ea tempestate & Tyria classis, plurimum pollens mari, in ultimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri Orbis termino insulam circumfusam Oceano, perexiguo a continenti divisam freto, Gades condidit. Ab iisdem post paucos annos in Africa Utica condita est. Hanc Gadium conditionem enarravit Paterculus tempore medio inter Megaram, & Uticam conditam. Megara condita fuit a Codro Melanthi filio, cujus antea VELLEJUS meminerat, atque hic quidem Regnum Atticæ tenuit ab anno Periodi Julianæ 3624. ad annum 3645. id est, ab anno 1089. usque ad annum 1068. ante æram Christianam: nam (ut ait STRABO *Lib. IX. pag.* 271. *cum exsulum frequentia faceret, ut copia virorum floreret Attica, metuentes sibi Heraclidæ, instigantibus eos maxime Corinthiis, & Meseniis, illis ob vicinitatem, his quod cum Codrus Melanthi filius regnum Atticæ tenebat, bellum Atticæ intulerunt: victique prœlio, & ex Attica profligati, Megaricam tamen occupaverunt, & Megaris urbe condita, incolas ex Jonibus fecerunt Dorienses: aboleverunt etiam columnam quæ Jones a Peloponneso distinguebat.* Utica autem condita fuit circiter annum Periodi Julianæ 3807 ante æram Christianam nongentesimum septimum, quo Margenus Badezori filius decessit, filio Pygmalione, & Elisa filia, insignis formæ virgine, heredibus institutis, ut refert JUSTINUS *Lib. XVIII. cap.* 4.

4. non vero ut colligitur ex *cap.* 40. *Lib.* *XVI.* PLINII, qui scribebat anno septuagesimo æræ Christianæ, non inquam anno 1171. ante Christi natalem. Quapropter si veræ sunt hæ rationes, circiter nongentesimum & septimum annum, Christi natalem præcedentem Gaditana urbs condita fuit a Phoenicibus de quibus JOHANNES TEZTZES *Chil.* *VIII.* *cap.* 216. de insula Gaderorum ita scripsit:

Phœnices autem Carthaginem in locis Libyæ
Condiderunt, atque Gaderam, egressi a
Phœnicia.
Est autem urbs Gadara Phœnicum in regione
Ex qua Papsines Gadarenus auctor fuit.

12. Hæc cum ita sint, Carthago fuit Phoenicum colonia, quos Acro Grammaticus cum Poenis confudit, & B. etiam ISIDORUS. Ille HORATII *oden.* 2. *Lib.* *II.* interpretans, ita inquit: *Gades autem oppidum est in Hispania a Pœnis conditum.* Hic *Ætymologiar.* *Lib.* *XV.* *cap.* 1. ita scribit: *Gades oppidum a Pœnis conditum, qui etiam Carthaginem Spartariam condiderunt.* Phoenices autem, qui Carthaginem Africanam condidere, fuerunt Tyrii, ut docuit MELA *Lib.* *III.* *cap.* 6. Unde explicari debet VIRGILIUS *Lib.* *I.* *Æneid.* ℣. 16.

Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Carthago, Italiam contra Tiberinaque
longe

Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli.

Sed distinctius FESTUS AVIENUS in *Descriptione Orbis Terræ* ℣. 287.

inclita post hos
Mœnia consurgunt Tyriæ Carthaginis, illa
Urbs Phœnissa prius, Libyci nunc juris alumna.

CURTIUS *Lib. IV. cap.* 4. de Tyro loquens ita scripsit: *Coloniæ certe ejus pene orbe toto diffusæ sunt: Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad oceanum. Credo libero commeantes mari, sæpiusque adeundo cæteris incognitas terras; elegisse sedes juventuti qua tunc abundabant: seu quia crebris motibus terræ, nam hoc quoque traditur, cultores ejus fatigati, nova, & externa domicilia armis sibimet quærere cogebantur.* Magnifice, & tragice de iisdem conditoribus PLINIUS *Lib. v. cap.* 19. *Tyrus* (inquit) *quondam insula præalto mari septingentis passibus divisa; nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens, olim portu clara, urbibus genitis, Lepti, Utica, & illa Romani imperii æmula, terrarum orbis avida, Carthagine; etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis ejus nobilitas conchylio, atque purpura constat.* Sed distinctius idem scripserat *Lib. IV. cap.* 22. describens insulas quæ sunt ex adverso Celtiberiæ. *In ipso vero capite Bæticæ ab ostio Freti passuum XXV. mill. Gadis, longa (ut Po-*

ly-

lybius scribit) XII. *mill. lata* III. *mill. passuum. Ipsius spatium* XV. *m. passuum est. Habet oppidum Civium Romanorum , quod appellatur Augusta Urbs Julia Gaditana. Ab eo latere quo Hispaniam spectat , passibus fere centum , altera insula est longa* III. *m. pass. lata , in qua prius oppidum Gadium fuit. Vocatur ab Ephono , & Phylistide , Erythia , a Timæo , & Sileno Aphrodisias , ab indigenis Junonis. Majorem Timæus Cotinusam apud eos vocatam ait : nostri Tartesson appellant , Pœni Gadir , ita Punica lingua sepem significante. Erythia dicta est , quoniam Tyrii aborigines eorum , orti ab Erythrœo mari ferebantur. In hac Geryones habitasse a quibusdam existimatur , cujus armenta Hercules abduxerit. Sunt qui aliam esse eam , & contra Lusitaniam arbitrentur , eodemque nomine quondam ibi appellatam.*

13. Quamplurima PLINIUS hic nos docet , quæ explicatione indigent. Duas PLINIUS distinguit insulas , majorem , & minorem. Ait majoris aborigenes fuisse Tyrios , quod supra laudatis testimoniis comprobatur quibus adjungi debet SILIUS ITALICUS , qui *Lib.* XVI. *Punicor.* ℣. 468. ait :

Hos Tyria misere domo patria inclyta Gades,

& LUCANUS *Lib.* VII. *Belli Civilis* ℣. 186.

Præsaga malorum
Si data mens homini est , Tyriis qui Gadibus hospes

Adjacet, Armeniumque bibit Romanus Araxen,
Sub quocumque die, quocumque est sidere mundi,
Mœret, & ignorat caussas, animumque dolentem
Corripit.

Atque *Lib. x.* ℣. 456.

Hic cui Romani spatium non sufficit orbis,
Parvaque regna putat Tyriis cum Gadibus Indos,
Cur puer imbellis, ceu captis femina muris,
Quærit tuta domus: spem vitæ in limine clauso
Ponit, & incerto lustrat vagus atria cursu.

Cumque Gaditana Civitas, vocata olim fuerit Tartessus, ideo SALLUSTIUS *Lib. II. Histor.* apud PRISCIANUM *Lib. V. col.* 648. & *Lib. VI. col.* 698. ita scripsit: *Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadir habent*, id est, *habitant*, qua significatione PLAUTUS in *Truculento actu* 2. *sc.* 4. ℣. 51. dixit:

Tonstricem Suram
Novisti nostram, quæ modo erga ædes habet.

Ideoque etiam Tartessus a Tyriis condita dicitur ab ARRIANO *Lib. II. Rer. gestar. Alexandri, pag.* 87.

14.

14. Hæc nominum diversitas me admonet, ut Gades insulas distinguam, & urbes in eis sitas: & sic continuabimus illustrationem PLINII. Quæ priori loco ab eo memoratur, major erat, atque ibi situm fuit oppidum Civium Romanorum, appellatur, *Augusta Urbs Julia Gaditana.* Quod nomen proculdubio ab Augusto Cæsare accepit: sed antea C. Cæsar ejus pater adoptivus Gaditanum Populum Civitate Romana donavit: quam donationem deinde Populus ratam esse jussit, ut refert DIO *Lib.* XLI. *pag.* 164. ubi ejus beneficii caussam narrat viro ambitiosissimo dignam. Ad hanc urbem pertinet Inscriptio apud GRUTERUM *pag.* 357. *num.* 2. quæ emendari debet ex altera Inscriptione, *pag.* 388. *n.* 4.

15. Altera insula, sita ad latus quo Hispaniam spectat, est priori minor; *in qua prius oppidum Gadium fuit*, ut ait PLINIUS, qui latine loquens, *Gadium* fecit adjectivum a *Gadi* derivatum. Hæc minor insula eodem PLINIO docente, vocatur ab Ephoro, & Philistide *Erythia; a Timæo, & Sileno, Aphrodisias; ab indigenis, Junonis.* De duplici nomine aliquid dicamus.

16. Ephorus, & Philistides opinionem suam de nomine *Erythiæ* a Pherecyde, & Stesichoro acceperunt. De Pherecyde sic Strabo *Lib.* III. *p.* 117. *Videtur Gadibus nomen Erytheæ tribuisse Pherecydes, in qua boves Geryonis fuisse fabulantur.* De Stesichoro idem STRABO

ita scripsit *pag.* 102. *Videntur autem veteres Bætin appellasse Tartessum*, & *Gades cum insulis vicinis Erytheiam : ideoque putant Stesichorum de Geryonis armento sic cecinisse*:

Nata ex adverso fere inclytæ Erytheiæ
Tartessii amnis ad fontes immensos argenteis radicibus
In cavernæ saxis.

Propterea SYPHAX apud SILIUM ITALICUM *Lib. XVI.* ℣. 194. sic alloquitur SCIPIONEM.

Revocat tua forma parentem.
Nam repeto, Herculeas Erythîa ad litora Gades
Cum studio pelagi & spectandis æstibus undæ
Venissem, magnos vicina ad flumina Bætis
Ductores miro quondam me cernere amore.

Addi potest PHILOSTRATUS *Lib. I. de Vita Apollonii cap.* I. Eratosthenes autem longius quæsivit hoc nomen apud eundem STRABONEM *dicta pag.* 102. *quin & Eratosthenes* (inquit) *Calpæ adjacentem regionem Tartessidem vocari tradit*, & *Erytheam insulam fortunatam.* Nimirum Poetæ omnium scriptorum nugacissimi, Herculis expeditionem in insulas Fortunatas extenderunt, quo illum in scypho, quem a Sole accepit, trajecisse fabulantur apud APOLLODORUM in *Bibliotheca Lib. II.* §. 10. 11.

17. *Erythia dicta est* (illa insula minor, ut ait PLINIUS) *quoniam Tyrii aborigenes eorum*

rum (Poenorum scilicet) orti ab Erythræo mari ferebantur. Quam opinionem confirmavit DIONYSIUS AFER, qui Rhamnio Fannio interprete sic hanc originem retulit.

Phœnices vivunt veteri cognomine dicti
Quos misit quondam mare Rubrum laudibus auctos,
Chaldæo nimium decoratam sanguine gentem,
Arcanisque Dei celebratam legibus unam.

Sed etymologia hæc nimis longe petita est.

18. *In hac* (insula) referente PLINIO *Geryones habitasse a quibusdam existimatur, cujus armenta Hercules abduxerit.* Fabulam hanc incrustavit STEPHANUS in v. *Erythia*, proculdubio ex alio Poeta hæc desumens. *Erythia, insula Geryonis in Oceano, sic dicta ab Erythea Geryonis filia, ex qua & Mercurio Morax natus est.* Sed me docet SCYLAX CARYANDENSIS de Illyriis agens, apud eos in Epiro *est campus appellatus Erythia. Illuc Geryonem venisse fama est, bovesque pavisse.* Non igitur Erythia in Hispania, neque Geryon, a quo Hercules abduxit boves. *Geryonem vero* (agnoscis Arriani verba ex *Lib.* II. *Rer. gestar. Alexandri*) *adversus quem Hercules Argyvus ab Eurystheo missus, ut boves ejus abstractas Mycenas duceret, Hecatæus Historicus tradit nihil ad Hiberiam pertinere, neque ad insulam ullam Erythiam in Oceano sitam missum fuisse Herculem: sed Geryonis regnum in continenti fuis-*

se, circa Ambraciam, & Amphilochos, indeque Herculem boves abegisse, existimantem non esse hoc facinus inter labores suos contemnendum. Scio etiam his temporibus in ea regione pinguia pascua esse, ibique opimas boves pasci. Quapropter abductis inde bobus ab Hercule, gloriam Euristheo accessisse existimant. Nec absurdum præterea videtur, illius provinciæ Regi Geryoni nomen fuisse: præsertim cum Hispanorum nemo sit, qui id nomen sciat Regibus suis fuisse, aut lætas in ea provincia boves gigni: nisi quis fortasse ista de Junone confingat, tanquam per Euristheum id Herculi mandaverit: & per fabulosa figmenta id credi velit, quod Historiæ fidem deroget.

19. Ad PLINIUM redeamus. *Sunt qui aliam esse eam* (*Erythiam* scilicet) *& contra Lusitaniam arbitrentur, eodem nomine* (*Erythiæ* videlicet) *quondam ibi appellatam.* Hæc PLINII simius Solinus in suum transtulit Polyhistorem *cap.* 26. Hujus opinionis fuit POMPONIUS MELA qui *Lib. III. cap.* 6. ita scripsit: *In Lusitania Erythia, quam Geryone habitatam accepimus.* Verum hoc quoque fabulosum est: *neque enim uspiam, vel juxta Lybiam, vel Hispaniam, nomen Erythia exstare ferunt* (Historici videlicet), ut docet antiquissimus auctor, qui Aristoteles esse creditur, *de Memorabilibus auscultationibus, cap.* 161.

20. Pergit PLINIUS, & agens de minoris

ris insulæ Gaditanæ nominibus sic ait: *a Timæo, & Sileno Aphrodisias.* Consonat STEPHANUS BYZANTINUS qui Aphrodisias insulas enumerans sic ait: *Tertia insula, quæ prius Erythia, inter Iberiam, & Gades.* Nominis rationem attulit JOHANNES BAPTISTA DE SALAZAR, in *Excellentiis, & antiquitatibus Gaditanæ urbis, & insulæ, Lib. 1. cap.* 4. Spumas scilicet maris, quibus insula illa circundata est, ob fluctuum illisionem.

21. Optime superiora duo nomina illius insulæ designavit FESTUS AVIENUS in *Ora Maritima* ℣. 309. & *seqq.*

Hinc Erythia est insula
Diffusa glebam, & Juris olim Punici,
Habuere primo, quippe eam Carthaginis
Priscæ coloni, interfluoque scinditur
Ad continentem quinque per stadia modo

(id est cum scribebat AVIENUS)

Erythia ab arce, qua diei occasus
Veneri Marinæ consecrata est insula

(Hæc Venus Marina est, quæ *Aphrodisia* dicitur)

Templumque in illa Veneris, & penetral cavum.
Oraculumque monte ab illo, quem tibi
Horrere silvis dixeram, in Veneris
Littus recline, & molle arcanum jacet.

Quos tres versus postremos sic lego, & interpungo:

Oraculumque monte in illo, quem tibi
Hor-

Horrere silvis dixeram inveneris.
Littus recline, & molle arenarum jacet.
aut supple templum.

22. De tertio Gaditanæ insulæ minoris nomine sic ait PLINIUS. *Ab indigenis Junonis.* Proculdubio ob templum ibi situm quod memorasse videtur MARCIANUS HERACLEOTA *Lib. II. pag.* 36. 40. & 41.

23. Præterea Insula *Sancti Petri* (ut hoc obiter addam) appellata fuit *Heraclea*, & est secunda & vigesima, insula in Atlantico mari a STEPHANO BYZANTINO memorata, v. *Heraclea*, quæ nullo modo confundi debet cum urbe Calpe, uti fecit Timosthenes, qui falso eam antiquitus *Heracleam* fuisse appellatam refert, apud STRABONEM *Lib. III. pag.* 96. quam opinionem STRABO indicat, non approbat, utpote ab eo ortam, qui, eodem STRABONE teste, ut in portuum descriptione multum aberravit *p.* 63. & plane ignarus fuit rerum Hispanicarum, *pag.* 64.

24. Transeamus ad nomina alterius insulæ. PLINIUS sic ait: *Majorem Timæus Cotinusam apud eos vocatam ait.* In Parmensi editione legitur: *Potinusam* a puteis. Et profecto STRABO Polybium sequens de Puteis Gaditanis loquutus est *Lib. III. pag.* 173. Certe *Cotinusæ* nomen, quod *oleastrum* significat, Hispane *acebuchar*, vix sustineri potest. Nam PLINIUS *Lib. XV. cap.* I. de oleis loquens sic scripsit: *Fenestella vero*

o-

omnino non fuisse (oleam) *in Italia, Hispania, atque Africa, Tarquinio Prisco regnante, ab annis Populi Romani* CLXXXIII. *quæ nunc pervenit trans Alpes quoque & in Gallias Hispaniasque medias.* Gymnesiæ etiam insulæ, quæ nunc abundant oleis, Aristotelis tempore iis carebant, & ibi oleum a terebyntho magna copia reddebatur ad usus omnes accommodatum. Vide librum *de Mirabilibus auscultationibus cap.* 94. Sed tamen Timæum sequutus est DIONYSIUS AFER qui in *Orbis Descriptione* ita scripsit:

Porro in medio sub vesperis columnis
Extremæ Gades apparent hominibus
Insula e circumflua in finibus Oceani
Ibi Phœnicum hominum genus incolunt,
Venerantes magni Jovis filium Herculem.
Atque hanc quidem incolæ sub prioribus hominibus
Dictam hodie Cotinusam, vocarunt Gades.

25. Igitur secundum DIONYSIUM AFRUM hanc insulam incolæ sub prioribus hominibus vocarunt *Gades*, & ipsius DIONYSII tempore dicebatur *Cotinusa*: quod PLINIUS videtur non intellexisse: & ideo fortasse in errorem induxit FESTUM AVIENUM, qui in *Descriptione Orbis* ℣. 611. ita cecinit:

Gadir prima Fretum solida supereminet arce,
Attollitque caput geminis inserta columnis.
Hæc Cotinusa prius fuerat sub nomine prisco,

Tar-

Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni.
Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat
Pœnus quippe locum Gadir vocat undique septum
Aggere præducto. Tyrii per inhospita late
Æquora provecti, tenuere ut cespitis oram
Constituere domus: dant hi quoque maxima templa
Amphitryoniade, numenque verentur alumnum.

In eundem incidit errorem TZETZES *Historiar. chiliade* II. *cap. de Hercule*, & *chiliade* VIII. *cup.* 216. de insula Gaderorum.

26. Prosequitur PLINIUS, & ait. *Nostri Tartesson appellant.* Quinam sunt hi nostri an Romani? non ita; nam POMPONII MELÆ tempore jam dubitabatur ubi sita fuisset Tartessos, cum ipse Cartejæ natus sic de patria sua subdubitanter inscripserit *Lib.* II. *cap.* 6. *Sinus ultra est, in eoque Carteja (ut quidam putant) aliquando Tartessus, & quam transvecti ex Africa Phœnices habitant.* Fortasse MELA hæc scibens præ oculis habebat Sallustii secundum Historiarum librum, ubi teste PRISCIANO *Lib.* V. *col.* 648. ita scripserat: *Tartessum Hispaniæ civitatem quam nunc Tyrii mutato nomine Gaddir habent.* Ubi pro *habent*, aut legendum *habitant*, uti MELA loquutus est; aut *habent* pro *habitant* Plautina loquutione scripsit. Quos autem MELA Phoenices, SALLUSTIUS vocavit

vit Tyrios, ita ut sensus sit, *Gaddir* nomen, quod Tyrii, sive Phoenices habitabant, mutatum fuisse in Tartessum. Pro *nostri* igitur apud PLINIUM lego *Græci*. Ita ut TIMÆI SICULI opinionem narrare prius voluerit, deinde Græcorum, & tamen verum nomen indicare. Idem PLINIUS *Lib. III. cap. I.* ita scripsit: *Carteja a Græcis Tartessos dicta.* Itaque nomen hoc a Græcis usurpatum aperte sensit, licet Græci recentiores, & ipse PLINIUS, incerti fuerint cum agerent de situ Tartessi. Certe Græci hanc insulam, vel civitatem in ea sitam appellarunt *Tartesson.* Itaque ARRIANUS *Lib. II.* ita scripsit: *Quapropter Herculem illum, qui apud Tartessios in Hispania colitur, a quo Columnæ nomen sumserunt, Tyrium arbitror, eo quod Tartessus a Tyriis condita est, Temploque in ea urbe Phœnicum structura ædificato, Herculi sacrum faciunt.* Omito FESTUM AVIENUM, qui in *Descriptione Orbis Terræ* mentionem fecit Tartessi; sed in continenti sitæ, ℣. 480. quod ante eum fecerunt SCYMNUS CHIUS ℣. 163. & STRABO *Lib. III. pag.* 102. Sed idem AVIENUS in eadem *Descriptione Orbis Terræ* aliter sentiens, hanc de qua loquimur, *Tartessum*, etiam nominavit versibus jam supra laudatis, ac nunc repetitis:

Gadir prima Fretum solida supereminet arce,
Attollitque caput geminis inserta Columnis

Hæc

Hæc Cotinusa prius fuerat sub nomine prisco :
Tartessumque dehinc Tyrii dixere Coloni.

Atque hoc ipsum repetivit in *Ora maritima* ℣. 85.

Hic Gadir urbs est , dicta Tartessus prius:
Hic sunt Columnæ pertinacis Herculis ,
Abila , atque Calpe : læva dicti cespitis
Libyæ propinquæ stalia ; duro perstrepunt
Septentrione , sed loco certæ tenent.

ubi ut sensus sit qui esse debet ita lego : *læva dicti cespitis* , id est , Hispani. *Libyæ propinquæ est alia* , intelligitur terra, de qua supra : & ea quidem Britannia.

duro perstrepens
Septentrione , sed locum certa tenens &c.

In eadem *Ora* idem AVIENUS ℣. 267. sic ait :

Gadir hic est oppidum.
Nam Punicorum lingua conseptum locum ,
Gadir vocabat : ipsa Tartessus prius
Cognominata est. Multa , & opulens civitas
Ævo vetusto , nunc egena , nunc brevis,
Nunc destituta , nunc ruinarum ager est.
Nos hoc locorum præter Herculaneam
Solemnitatem , vidimus miri nihil.
At vis in illis tanta , vel tantum decus
Ætate prisca , sub fide rerum fuit ,
Rex ut superbus , omniumque præpotens ,
Quos gens habebat forte tum Maurusia ,

O-

Octaviano Principi acceptissimus,
Et litterarum semper in studio Juba,
Interfluoque separatus æquore,
Inlustriorem semet urbis istius
Duumviratu crederet.

Quibus postremis verbis illustrandis, vide ANTONIUM AUGUSTINUM initio *Dialogi VI. Antiquit.* & BERNARDUM ALDRETUM *Lib. II. Antiquit. Hisp. cap.* I. *pag.* 178.

27. Postremo PLINIUS ita scripsit: *Pœni Gadir, ita Punica lingua sepen significante.* PLINIUM, ut solet, descripsit SOLINUS *cap.* 26. *in capite* (inquit) *Bæticæ, ubi extremus est noti Orbis terminus, insula a continenti septingentis passibus separatur, quam Tyrii a Rubro profecti mari Erythræam; Pœni lingua sua Gadir, id est, sepem nominaverunt.* Confirmat hanc etymologiam FESTUS AVIENUS in *Descriptione Orbis Terræ,* ℣. 615. ubi ait:

Barbara quin etiam Gades hanc lingua
frequentat:
Pœnus quippe locum Gadir vocat undique
septum
Aggere præducto.

Repetit hoc ipsum AVIENUS in *Ora Maritima* ℣. 267.

Gadir hic est oppidum:
Nam Punicorum lingua, conseptum locum
Gadir vocabat.

Et profecto Hebræis *Gadhar* est sepire, ut admonuit ALVARUS GOMETIUS *ad cap.* 6.

Lib. XIV. Etymolog. B. Isidori, qui de Gadira insula loquens ait: *quam Tyrii a Rubro profecti mare occupantes lingua sua Gadir*, id est, *sepem nominaverunt*, *pro eo quod ei consepta sit mari.* Quam verbi rationem minime probo; hoc enim sensu omnes insulæ nominarentur *Gades*. Ego vero existimo Tyrios *Tarsin* dixisse, Græcos *Tartessum*, Pœnos *Gadir*.

28. Quæ vero de Gadirico Rege Plato memorat, fabulosa existimari debent; etiamque ea, quæ Gaditani referebant apud STRABONEM *Lib. III. pag.* 117. de ratione qua Gades fuerint conditæ, ad aniles fabulas referri debent.

29. Redeo ad DIODORUM SICULUM. *Phœnices hanc urbem* (Gadem scilicet) *posuere juxta ipsum ad Columnas Fretum.* Herculearum Columnarum mentionem fecerunt, HERODOTUS *Lib. IV. cap.* 185. Hanno Carthaginiensis initio *Peripli*, SCYLAX CARYANDENSIS *pag.* 1. 51. & 52. DIONYSIUS AFER in *Descriptione Terræ*, MARCIANUS HERACLEOTA, *Lib. I.* SILIUS ITALICUS *Lib. XVI. Punicor.* ℣. 195. PLINIUS *plurimis in locis*, Q. CURTIUS *Lib. X. cap.* 1. FESTUS AVIENUS in *Descriptione Orbis Terræ* ℣. 99. & 277. & in *Ora maritima*, ℣. 86. & 341. B. ISIDORUS *Etymolog. Lib. XIV. cap.* 6. &, ut uno verbo dicam, omnes antiqui Geographi, quibus omnibus præponendus STRABO *Lib. III. pag.* 117.: quorum omnium

mnium testimonia si congerere vellem, justum efficerem volumen. Itaque ad alia festinantes, reliqua DIODORI verba persequamur.

30. *In qua* (urbe inquit, de Gaditana loquens) *cum alia loco isti congrua, tum Fanum Herculi sumtuosum cum sacris magnificis Phœnicum ritu peragendis instituerunt.* Pertinent huc quæ ARRIANUS scripsit *Lib. II. Rer. gestar. Alexandri. Quapropter Herculem illum, qui apud Tartesios in Hispania colitur, a quo Columnæ nomen sumserunt, Tyrium arbitror, eo quod Tartessus a Tyriis condita est, Temploque in ea urbe Phœnicum structura ædificato Herculi sacrum faciunt.* De Tyriorum sacris in honorem Herculis loquitur Machabeorum *Lib. II. c.* 4.

31. *Templum hoc* (prosequitur DIODORUS) *ita recentioribus etiam sæculis ad nostram usque ætatem in summa veneratione habitum fuit adeo ut multi etiam Romanorum nobilitate, ac magnitudine rerum gestarum illustres viri Deo illi vota nuncuparint, negotiisque feliciter confectis exsolverint.* Ad hæc illustranda legi possunt C. CÆSAR *Lib. II. Commentarior. de Bello Civili*, POMPONIUS MELA *Lib. III. cap.* 6. & APPIANUS in *Ibericis*.

32. Illud autem omitendum non est in eo templo nullum fuisse simulacrum, ut memoriæ prodidit SILIUS ITALICUS *Punicor. Lib. III.* ℣. 30.

Sed nulla effigies, simulacrave nota Deorum

Majestate locum & sacro implevere timore.

Quod etiam testatur PHILOSTRATUS *Lib. V. de Vita Apollonii cap.* I. & ex eo PHOTIUS *cod.* 241. quod Templi vetustatem arguit. Nam, ut ait TERTULLIANUS, *cap. de Idololatria 3. idolum aliquando retro non erat. Priusquam hujus monstri artifices ebullissent, sola templa, & vacuæ ædes erant, sicut in hodiernum quibusdam locis vetustatis vestigia permanent.* Cui addendus ISIDORUS *Etymol. Lib.* VIII. *cap.* 11. Præterea hoc ipsum indicat Templum fuisse conditum a Phoenicibus, qui ab Hebræis acceperunt non facere sculptile, *Exodi* 21. ℣. 4. *Levitici* 26. ℣. 1. *Deuter.* 5. ℣. 8.

33. Postremo DIODORUS SICULUS ita scripsit: *Hac igitur ratione Phœnices, investigata ultra Columnas ora, cum Africæ litora legerent, ventorum procellis ad longinquos in Oceano tractus sunt abrepti. Per multos tandem dies vi tempestatis ad insulam (de qua jam dictum) appulerunt, naturamque ejus, & felicitatem a se primitus cognitam in aliorum deinde notitiam perduxerunt.* Insulam hanc elegantissime descripsit idem DIODORUS *Lib. V. cap.* 19. quæ descriptio convenit insulæ *del Pino*, quæ una est ex Fortunatis. Vide STRABONEM *Lib. III. pag.* 104. & PLUTARCHUM in *Sertorio.*

34. Atque hæc dicta sunto de prima Phoenicum Colonia in Hispania. Illorum vero

ro Colonias non paucas fuisse docuit DIODORUS SICULUS *Lib. v. Bibl. cap.* 20. & 35. *in fine*; & quidem ante Homeri ætatem, ut docuit STRABO *Lib. III. pag.* 104. ubi loquens de insulis Beatorum ita scripsit: *Phœnices porro harum ego rerum fuisse indices dico, qui ante Homeri ætatem optima Africæ, & Hispaniæ tenuerunt, & domini eorum fuere locorum donec eorum a Romanis est abolitum imperium.* APPIANUS etiam in libro *de Bello Hispaniensi*, posteaquam retulit Celtarum in Hispaniam adventum cum Hispanis permixtorum, hæc adjunxit. *Præterea Phœnices, sicuti ego arbitror, jam multo ante cum sæpius in Iberiam negotiationis caussa navigassent, quædam ibi loca possederunt.* Ait APPIANUS, *negotiationis caussa* quæ consistebat in argenti copia, vino, melle, sparto, lino, stanno Celtico ex Cassiteridibus insulis advecto, de quibus omnibus consuli possunt ARISTOTELES *de Mirabilib. auscultationibus*, *cap.* 162. DIODORUS SICULUS *Lib. v. cap.* 35. JUSTINUS *Lib. XLIV. cap.* 3. & 4. PLINIUS *Lib. III. c.* 3. *prope finem*, *Liber* I. *Machab. cap.* 8. ℣. 3.

35. Phoenices vero præcipue frequentarunt Gades, & ostia amnis Tartessi, qui idem ac *Theodorus*, & notiore nomine *Bætis*, ac Civitatem *Tartessum*, quæ videtur fuisse antiqua *Tharsis*, ac per Carthaginienses obtinebant Hispaniæ merces. Quo pertinet illud EZECHIELIS *cap.* 27. ℣. 12. *Car-*

thaginienses negotiatores tui, a multitudine divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas, urbis scilicet Tyrii, de qua ibi loquitur Propheta. Atque huc pertinet illud ARISTOTELIS *Lib. de Mirabilib. auscult. cap.* 162. *Primos Phoenices ferunt, cum Tartessum navigassent, tantam argenti vim oleo aliisque sordibus commutasse, ut neque capere naves, nec ferro possent: quo circa coactos sub discessum, cum cætera, quibus utebantur, tum anchoras etiam ex argento conflare.* Ferri Cantabrici copiam laudat PLINIUS *Lib. XXXIV. cap.* 14. Stannum eruebatur ex Monte Argentario, de quo sic AVIENUS in *Ora Maritima* ℣. 291.

At mons paludem incumbit Argentarius,
Sic a vetustis dictus ex specie sui.
Stanno iste namque latera plurimo nitet.
Magisque in auras eminus lucem evomit,
Cum Sol ab igne celsa perculerit juga:
Idem amnis (Tartessus) *aut fluctibus stanni*
Ramenta volvit, invehitque moenibus gravis
Dives metallum,

Adde STEPHANUM v. *Tartessus.*

36. Denique plumbi fossilis mentio est apud STRABONEM *Lib. III. pag.* 102. & præterea plumbum comportabatur ex insulis quæ Cassiterides dictæ Græcis a fertilitate plumbi, quæ ex adverso Celtiberiæ sunt, ut

ut docet PLINIUS *Lib. IV. cap.* 22. quae non erant Britannicae, etsi in Britannico propemodum sitae climate, ut ait STRABO *Lib. II. pag.* 82. Has etiam negotiandi caussa adibant, Tartessii Carthagnienses, & siti ad Herculis Columnas, ut refert AVIENUS in *Ora Maritima*, ℣. 112. ubi de gente Hibernorum agens ita adjungit:

Propinquae sursus insula Albionum patet.
Tartessiisque in terminos Oestrymnidum
Negotiandi mos erat: Carthaginis
Etiam coloni, & vulgus inter Herculis
Agitans Columnas, haec adibant aequora:
Quae Himilco Poenus mensibus vix quatuor,
Ut ipse semet rem probasse retulit
Enavigantem posse transmitti adserit.

37. Quin & dici potest, Hispanos fuisse Britanniae colonos: nam TACITUS in *Agricola cap.* 11. disputans de primis mortalibus, qui Britanniam coluerint, ita scripsit: *Silurum colorati vultus, & torti plerumque crines, & positu contra Hispaniam, Hiberos veteres trajecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt.* Ex superiore autem AVIENI loco patet Oestrymnidas esse Britannos. Dixi autem insulas Cassiteridas nullo modo esse Britannicas, quod aperte colligitur ex STRABONE *Lib. III. cap.* 101. ubi ita scripsit: *Addit porro* (POSSIDONIUS) *stannum non, ut Historici divulgarunt, in superficie terrae inveniri, sed effodi, nasci*

 apud

apud Barbaros, qui supra Lusitaniam degunt, & in Cassiteribus (quasi stannarias diceres) insulis: ex Britannicis quoque Massiliam adferri. Apud Artabros autem, qui Lusitaniæ versus occasum, & septentrionem ultima habent, eflorescere ait terram stanno aureo albo: est enim permixtum argento, hanc terram fluviis deferri, & a mulieribus sarculis exhauriri, lavarique in textis cratibus, dum expurgata terra stannum purum fiat. Adde quæ de Cassiteridum insulis scripsit idem STRABO *in fine Lib. III.*

38. Sed operæ pretium me facturum arbitror, si Phoenicum Colonias indicavero; in quibus si aliquæ Pænorum referantur, mirum esse non debet, tum quia Poeni a Phoenicibus orti sunt, ut ipsum nomen confirmat; tum quia eas distinguere in tanta antiquitate non semper est facile: neque id ad nostrum propositum multum interest.

39. STRABO *Lib. XVI. pag.* 520. ita scripsit: *Poetæ quidem magis Sidonem celebrant: atque adeo Homerus Tyri non meminit. Coloniæ tamen in Africam, & Hispaniam usque deductæ, Tyrum plurimum celebraverunt.* Igitur ab Herculis Columnis incipiamus, & lucem quam possimus, demus obscurissimo Poetæ Geographo RUFFO FESTO AVIENO, interpretatiunculis adhibitis ubi opus sit; & ipso textu emendato, ubi necesitas exigat. Atque hæc non ingrata esse debent, siquidem ipse AVIENUS ℣. 78. sic præfatur: Nam-

Namque fulcit hæc fides.
Petita longe, & eruta ex auctoribus.
& ℣. 414.
Hœc nos ab imis Punicorum Annalibus
Prolata longo tempore, edidimus tibi,
ubi pro *imis* fortasse legi debet *ipsis.*

40. Incipiamus ergo a ℣. 417.
Igitur Columnæ, ut dixeram, Libystidis
Europæ in agro adversa surgit altera.
Pro *Libystidis* reponendum *Libystidi*, ut admonuit NIC. ANTONIUS in notulis ad AVIENUM. Consonat POMPONIUS MELA *Lib. I. cap.* 5. ita scribens: *Deinde est mons præaltus, ei quem ex adversa Hispania attollit objectus: hunc Abylam, illum Calpen vocant, Columnas Herculis utrumque. Addit fama nominis fabulam, Herculem ipsum junctos olim perpetuo jugo diremisse colles, atque ita exclusum antea mole montium Oceanum, ad quæ nunc intendat admissum.*

41. Ait AVIENUS, *ut dixeram, versu* videlicet 341. ubi ita cecinit:
Hic Herculanæ stant Columnæ, quas modum
Utriusque haberi continentis legimus
(*modus* hic significat mensuram secundum illud Laris familiaris in *Prologo Aululariæ* ℣. 13.
Agri reliquit eji non magnum modum
Et HORATII *sat. VI.* ℣. *I. Lib. VI.*
Hoc erat in votis modus agri non ita magnus.

Ad-

Adde Pandectar. *tit. si mensor falsum modum dixerit*, & ibi interpretes. Nimirum Geographi ab Herculis Columnis terram metiri soliti sunt)

Sunt parva porro saxa prominentia
Abila, atque Calpe: Calpe in Hispano solo,
Maurosiorum (Maurusiorum) *est Abila: namque Abila vocant*
Gens Punicorum, mons quod altus Barbaro est,
Id est, Latino, dici, ut auctor Plautus est.
Calpeque rursum in Græcia, species cavæ
Teretesque visu nuncupatur, & jugi.

42. JANUS ULITIUS in *Commentario ad Nemesiani Cynegeticon* ℣. 252. auctor fuit pro *parva* legi debere *alta*, vel *pervia*. Prius illud approbo: nam SCYLAX CARYANDENSIS in *Periplo*, *cap.* quo de Carthagine agit, ita scripsit: *In his quoque* (Gadibus) *sunt Columnæ Herculeæ: ea quidem, quæ in Libya humilis: Europæa vero excelsa est.* Præterea supra vidimus POMPONIUM MELAM Abylam vocasse *montem prææltum*. Et STRABO *Lib. III. pag.* 96. *ibi ergo mons est eorum Hispanorum, qui Bastitani, & Bastuli vocantur; nomine Calpe, ambitus non magnus, cæterum in altitudinem magnam erectus, ut eminus videntibus insulæ speciem objiciat*. NEMESIANUS etiam *Cynegeticon* ℣. 252. ita cecinit:

Quin

Quin etiam gens ampla jacet trans ardua Calpes
Culmina, cornipedum late fœcunda proborum.

Sed quid verbis opus est? Ipse AVIENUS in *Descriptione Orbis Terræ* ℣. 98. ita scripserat:

In Zephyrum tellus extenditur, oraque Terræ
Ultima proceras subducit in astra Columnas
Hic modus est Orbis.

& ℣. 277.

Propter proceras Zephyri regione Columnas
Mauri habitant.

& multo disertius antea ℣. 106.

Scopuli stant ardui utrinque;
Unus in Europam, Libyam procul aspicit alter.
Sic deserta freto procera cacumina celsis
Emicuere jugis, sic intrant saxa profundum,
Sic subeunt nubes, sic Cœlum vertice fulcit
Maura Abila, & dorso consurgit Iberica Calpe.

Ubi PLAUTUS dixerit *montem altum*, nescio. *Montes maximi* dixit in *Pseudolo actu 1. sc.* 2. ℣. 55. Sed hoc ad rem non pertinet. Itaque hunc versum adscititium puto. Pro *Calpe* repono *Calpæ*, & pro *jugi* lego, ju-

juga; id est, montium cacumina, ut explicavit SERVIUS ad ℣. 630. *Lib.* II. *Æneid.*

43. Quibus obiter expurgatis prosequitur AVIENUS & ait ℣. 350.

Atheniensis dicit Euctemon item
Non esse saxa, aut vertices adsurgere
Parte ex utraque. Cespitem Lybici soli
Europæ & oram memorat insulas duas
Iter acervi (*interjacere* emendavit Barthius *Adversarior. Lib.* XXVIII. *cap.* 14.)
nuncupari has Herculis,
Ait Columnas: stadia triginta refert,
Has distinere; horrere silvis undique
Inhospitasque semper esse nauticis.
Inesse quippe dicit ollis Herculis
Et Templa, & Aras: invehi advenas rates
Deo litare, abire festino pede.

Huc usque AVIENUS sui ipsius interpres.

44. Sed redeamus ad ejusdem contextum interruptum. *Versu* 419. sic prosequitur:

Hic Chrysus amnis intrat altum gurgitem

Eruditissimus BERNARDUS ALDRETE *Lib.* III. *Orig. Linguæ Castellanæ*, *cap.* 11. in fine censuit Chrysum amnem esse *Guadalete*. In mentem mihi venit, an ei nomen dederint Phoenices, in honorem Diamichii sui, qui dictus fuit *Chrysor*, & navigationis parens habitus est, ut ex Sanchoniatone Philo refert

fert apud EUSEBIUM in *I. Præpar. Evangel. cap.* 10. utut sit, AVIENUS sic prosequitur ℣. 420.

Ultra citraque quatuor Gentes colunt,
Nam sunt feroces hoc loco Libyphœnices,
Sunt Massieni, Regna Selbyssima sunt,
Feracis agri & divitis Tartessii,
Qui porriguntur in Calacticum sinum.

45. Libyphoenices teste POLYBIO *Lib. III. cap.* 33. & LIVIO *Lib. XXI. cap.* 22. fuerunt mixtum Punicum Afris genus. Hi, ut ait PROCOPIUS *Lib. II. de Bello Vandalico*, semiphoenicia lingua utebantur. Nimirum, ut legitur *in Hannonis Periplo, Placuit Carthaginiensibus ut Hanno navigaret extra Columnas Herculis, & urbes Libyphœnicum conderet.* In Africa etiam fuerunt Liby Phoenices, docente PLINIO *Lib. V. cap.* 4.

46. Reliquas tres gentes mirifice illustrat HERODOTUS *Libro suæ Historiæ decimo, quem de Hercule consignavit* hoc modo apud STEPHANUM BERKELIANUM in v. *Iberiæ. Gens hæc Iberica, quam dico maritima Trajecti habitare, quamvis una gens sit, diversis tamen nominibus, distincta est. Primum quidem, qui ultimi versus occasum habitant Cynetes appellantur. Ab his versus Aquilonem tendenti, occurrunt Gletes, tunc Tartessi, deinde Elbysinii, post hos Mastieni, tum Calpiani, denique etiam Rhodanus.* Ergo si retrograde procedamus, omitta-

tamusque Rhodanum, qui videtur amnis *Guadiaro*, & Calpianos, qui prope Calpen habitant, Mastieni Herodoti sunt Massieni Festi Avieni; Elbysinii illius, Regna Selbyssina hujus; Tartessii utriusque sunt iidem; Gletes igitur horum finitimi; & ultimi versus occasum, fuerunt Cynetes. De singulis his gentibus STEPHANUS tractavit. Nos ejus testimonia huc transferemus, & opportuna etiam adjungemus ex aliis Geographis.

47. STEPHANUS igitur v. *Cyneticum* ita scripsit: *Cyneticum Iberiæ locus prope Oceanum, cujus meminit Herodotus Lib. x. de rebus Herculis. Incolæ Cynetes, & Cynesii:* ait *prope Oceanum*, nam confines erant Celtis, ut ante eum docuit HERODOTUS *Lib. IV. cap.* 49. POMPONIUS MELA *Lib. III. c.* 1. Cyneticam regionem describens, sic ait: *Anæ* (hodie *Guadiana*) *proximum* (promontorium) *quia lata sede procurrens, paullatim se, ac sua latera fatigat, Cuneus ager dicitur. Sequens, Sacrum vocant.* (Cabo de San Vicente) *Magnum, quod ulterius est. In Cuneo sunt Myrtilis* (hodie Mertola) *Balsa, Ossonoba. In Sacro, Lacobriga*, (nunc Lagos) *& Portus Hannibalis. In Magno, Ebora.* Sed ipse AVIENUS Cyneticam regionem latissime descripsit in eadem *Ora Maritima* ℣. 200. *& seqq.*

Inde Cempsis adjacent
Populi Cynetum, Cyneticum jugum.

Qua

Qua sideralis lucis inclinatio est,
Alte tumescens ditis Europæ extimum
In beluosi vergit Oceani salum.
Ana amnis illic per Cynetas effluit,
Sulcatque glebam. Panditur rursus sinus,
Canusque cespes in meridiem patet.

Tres sequentes versus corruptissimi sunt, & quartus obscurissimus.

Memorato aliam in gemina sese flumina
Scindunt repente, per quæ prædicti sinus
Crassum liquorem, quippe pinguescit luto,
Omne hic profundum lenta tradunt agmina.

Sed multo melius legitur in altero codice

Nemoratus Ana in gemina sese flumina
Scindit repente, per quæ prædicti sinus
Crassum liquorem (quippe pinguescit luto)
Omne hic profundum lenta trudunt agmina.

Hoc est, flumina lente fluunt ob liquoris crassitudinem.

Hic insularum semet alto subrigit
Vertex duarum: nominis minor indiga est.
Aliam vocavit mos tenax Agonida.
Inhorret inde rupibus cautes sacra,
Saturni & ipsa; fervet inlisum mare
Littusque latus saxeum distenditur.

(Id est, *in litus*) nam alia ex parte acclive est Promontorium Sacrum, quod in *Descriptione Orbis terræ* ita descripsit idem AVIENUS a ℣. 749.

Prop-

Propter Atlantei tergum salis Æthiopum
Gens
Hesperides habitat: dorsum (lego, *horsum*)
tumet hic Erythreia,
Hicque sacre, sic terga vocat gens ardua
montis;
Nam protenta jugum Tellus trahit.

Interpres est Avienus sui ipsius ℣. 218. *Oræ Maritimæ.*

Hirtæ hic capellæ, & multus incolis ca-
per
Dumosa semper intererrant cespitum.
Castrorum in usum, & nauticis vela-
mina
Productiores, & graves setas alunt.

Hinc dictum ad amnem solis unius via est: Amnis dictus est supra memoratus Cempsis.

48. A Cynetibus ad *Gletes* transeamus. De his ita STEPHANUS. *Gletes gens Hispanica post Cynetas, de qua Herodotus libro decimo.* Iidem sunt ac *Tletes* facili permutatione T. & Γ. de quibus idem STEPHANUS. *Tletes, gens Iberica, habitans circum Tartessios. Theopompus quinto & quadragesimo.*

49. Tartesios omisit AVIENUS, ita dicti a flumine, aut urbe, de qua sic STEPHANUS: *Tartessus urbs Iberiæ, a fluvio* (Tartesso) *qui ab Argenteo monte defluit* (id est, Guadalquivir) *qui fluvius stannum quoque in Tartessum defert, Gentile Tartessius, & Tar-*
tes-

tessia, & *Tartessis* , & *neutraliter*,

.... *Tartessium beatum oppidum.*

STRABO *Lib. III. pag.* 102. declaravit quinam fluvius fuit Tartessus , & Tartessi urbis situm , his verbis : *Ad Castaonem* , & *aliis in locis peculiare est metallum plumbi fossilis , cui admixtum paullulum argenti , sed quod ab eo separare non sit operæ pretium. Non procul a Castaone mons est , unde Bætis dicitur profluere , quem montem Argenteum vocant , ob argenti in eo metalla.* Et paullo post : *Videntur autem veteres Bætin appellasse Tartessum* , & *Gades cum insulis vicinis Erythræam.* Atque paucis interjectis : *Cum autem Bætis duobus ostiis in mare exeat , ajunt olim in medio horum urbem fuisse habitatam Tartessum , fluvio cognominem , regionemque appellatam Tartessidem , quam nunc Turduli incolunt. Quin* & *Eratosthenes Calpæ adjacentem regionem Tartessidem vocari tradit* , & *Erythream , Insulam Fortunatam. Quem reprehendens Artemidorus , id falsum eum dixisse ait.* Nec minus distincte PAUSANIAS in *Eliacis Posterioribus* ita scribens : *Tartessum certe fluvium Hispaniæ esse tradunt , ostiis duobus in mare descendentem : amni cognominem urbem inter utrumque alveum sitam. Eum fluvium omnium Hispaniæ fluminum maximum* , & *præaltis vorticosum jugitibus, Bætin hujus ætatis homines nominant. Sunt* & *qui prisco nomine Tartessum Carpian vocitatam dicant.* De gen-

te igitur hanc regionem incolente ait AVIENUS:

sunt

Feracis agri, & divitis Tartessii

Qui porriguntur in Calacticum sinum.

Dixit antea STRABO suo tempore Turdulos incoluisse Tartessidem. Consonat STEPHANUS in *v. Turditania*, ubi ita scripsit: *Turditania regio Iberiæ: quæ etiam Bætica vocatur circa Bætin fluvium. Incolæ, Turditani, & Turduli. Artemidorus vero Turtytaniam vocat, et Turtos incolas, & Turtutanos.*

50. *Elbysinii* Herodoti sunt Regna Selbyssima Avieni, ubi Selbysina legendum. Σιγμα vero nullo modo tollendum est, nam frequenter fit, ut aspiratio omittatur, aut ut in Σιγμα convertatur docente ISIDORO *Lib. III. cap.* 3. MARTINO ANTONIO DEL RIO in *Medeam Senecæ* ℣ 726. & BERNARDO ALDRETE *Lib. III. Originis Linguæ Castellanæ*, *cap.* 2. quod multis exemplis confirmare possem. Sufficiant vero sequentia.

51. *Alpesa* occurrit apud PLINIUM *Lib. III. cap.* I. & tamen ejus cives dicuntur *Salpesani* apud RUDERICUM CARUM in *Relatione Inscriptionum, & antiquitatis villæ Utreræ*, *fol.* 29. & in *Antiquit. Hispalensibus Lib. III. Cap.* 62. & in *Novo Thesauro veter. Inscriptionum* LUDOVICI ANTONII MURATORII, *to.* 2. *fol.* 1107. *n.* 7. neque ullo modo PLINIUS emendari debet, ut voluit CARUS.

52.

52. *Edetani* apud PLINIUM memorati *Lib. III. cap. 3.* observato litterarum ordine, & *Hedetani* apud PTOLÆMEUM *Lib. II. c. 6.* sunt *Sedetani* LIVII *Lib. XXXIV. c. 20.* quos STRABO *Lib. III. p. 112.* vocavit *Sidetanos*. Eorum regio *Sedetania* nominatur ab APPIANO in *Ibericis*. *Sedetanæ Cohortis* meminit SILIUS ITALICUS *Lib. III. Punicor.* ℣. 371. ubi ita cecinit:

Hos inter clara thoracis luce nitebat
Sedetana Cohors, quam Sucro rigentibus undis
Atque altrix celsa mittebat Sætabis arce,
Sætabis, & telas Arabum sprevisse superba,
Et Pelusiaco linum componere lino.

53. *Elmantice*, cujus mentio occurrit apud POLYBIUM *Lib. III. cap. 14.* & STEPHANUM eum laudantem in *Elmantice*, dicitur *Salmantida*, id est Salmantica a POLYÆNO *Stratagematum Lib. VII.*

54. *Ex*, cujus mentio fit apud MELAM *Lib. II. cap. 6.* & PTOLEMÆUM *Lib. II. cap. 4.* idem est ac *Sex*, quod *Sexti Firmum cognomine Julium* appellavit PLINIUS *Lib. III. cap. 1.* atque hæc fuit *Exitanorum urbs*, unde Salsamentis *Exitanis* nomen, ut docuit STRABO *Lib. III. p. 108.* quem STRABONIS locum laudavit ATHENÆUS *Lib. III. Deipnosoph. pag. 91.* ubi memoratur colias *Sexitanus*, celebratus etiam a PLINIO *Lib. XXXII. cap. 11.* qui *Saxeta-*

auctore Hecatæo in Europa. Gens autem a Mastia urbe sic dicta est. Quæ urbs in Africa sita erat ab Hispanico nomine, ut constat ex POLYBIO *Lib. III. cap.* 24. qui *cap.* 33. ejusdem libri sic ejus originem declarat: *Tertia Hannibalis cura erat, ut securitati Africæ prospiceret. Quam ad rem cauto, ac prudente consilio usus, ex Africa in Hispaniam, ex Hispania vero in Africam milites trajecit: hac ratione fidem populorum utrorumque mutuo inter ipsos vinculo alligans: qui in Africam transierunt sunt Thersitæ, Mastiani, item montani quidam Hispani.* Ut vero hoc obiter dicam, Thersitæ fuerunt incolæ Tharsei, de quo ita STEPHANUS: *Tharseium urbs ad Herculeas Columnas, Polybius tertio. Gentile debebat Tarseites, vel Tarsejotes. Nunc vero pro regionis consuetudine Tarseni dicuntur.*

56. Redeamus ad AVIENUM. Hic posteaquam de Tartesiis loquutus fuerat, adjunxit ℣. 425.

Hos propter autem mox jugum Barbetium est,
Malachæque flumen urbe cum cognomine
Mænace priore quæ vocata est sæculo.

Confudit hic AVIENUS Malacam cum Mænaca, quod ante eum alii fecerunt, quorum errorem reprehendit STRABO *Lib. III. pag.* 108. hoc modo: *In hac ora prima urbs est Malaca, tanto a Calpe, quantum ab hac Gades, intervallo. Ea habet emporium,*

rium, quo utuntur qui in opposito litore vivunt, multumque ibi conficitur salsamenti. Sunt qui hanc eandem putant cum Mænaca, quam ultimam Phocæorum versus occasum civitatem accepimus; sed errant: nam Mænace longius a Calpe dissitæ atque eversæ rudera Græcanicæ urbis vestigia retinent: Mafaca magis ad Punicæ (id est, Phoeniciæ *formam accedit.*

57. Prosequitur AVIENUS, & ait ỿ. 428.

Tartessiorum juris illic insula
Antistat urbem, noctilucæ ab incolis
Sacrata pridem.

Lunæ scilicet, cujus mentionem fecit ỿ. 367. quamque *Noctilucam* vocat, ut HORATIUS *Lib. IV. carm. ode* 5. Adjungit AVIENUS:

In insula stagnum quoque
Totusque portus, oppidum Minace super.

NICOLAUS ANTONIUS in notulis suis ad AVIENUM pro *totus* legit *tutus*; pro *Minace*, *Mænacæ*. Utrumque recte.

Qua sese ab undis regio dicta subtrahit,
Sisurus alto mons tumet cacumine.
Assurgit inde vasta cautes, & mare
Intrat profundum: pinus hanc quondam frequens
Ex se vocari sub sono Grajo dedit.

Habuit itaque nomen, *Pytiussa*, id est, *Pinaria*, quo nomine plurimæ insulæ vocatæ sunt, ut videre est apud PLINIUM *Lib. IV. cap.* 12. *Lib. V. cap.* 29. 31. & 32.

Phanumque ad usque Veneris, ac Veneris

ris jugum
Littus recumbit.

Intelligit Erythiam, sive Aphrodisiam de qua idem AVIENUS ℣. 309. & *seqq.*

Hinc Erythia est insula
Diffusa glebam; & juris olim Punici.
Habuere primo quippe eam Carthaginis
Priscæ (legendum, *Prisci*) *coloni, inter-*
fluoque scinditur
Ad continentem quinque per stadia modo.
Erythia ab arce, qua diei occasus
Veneri marinæ consecrata est insula,
Templumque in illa Veneris, & penetral
cavum
Oraculumque monte ab illo, quem tibi
Horrere silvis dixeram, in Veneris.
Littus recline, & molle arenarum jacet
In quas Besilus, atque Cilbus flumina
Vergent fluentum.

58. Prosequitur AVIENUS ℣. 438.

Porro in isto litore
Stetere crebræ civitates antea
Phœnixque multus habuit hos pridem locos
Inhospitales nunc arenas porrigit
Deserta Tellus, orba cultorum Sola
Squalent, jacentque. Veneris abdito jugo
Spectatur Herma cespitis Libyci procul
Quod ante dixi.

Cum AVIENUS alludat ad id quod dixerat; operæ pretium erit ex eo lucem huc afferre. Dixit itaque ℣. 321. & *sequentibus.*

Post in occiduum diem

Se Massienum curvat alto ab Æquore,
Sinuque in imo surgit altis mœnibus
Urbs Massiena. Post jugum Traëte eminet.
Brevisque juxta Strongyle stat insula.
Dehinc in hujus insulæ confiniis
Immensa tergum latera difundit palus
Theodorus illic.

61. ARISTOTELES *de Mirabilibus auscultationibus num.* 43. videtur vocasse hunc fluvium Theodoronta, quem FRANCISCUS RUICIUS in laborioso, & utili, Aristoteleorum operum Indice, ALDRETUS *Lib. III. Originis linguæ Castellanæ, cap* 10. & MARTINUS ANTONIUS DEL RIO *in Thyestem Senecæ* ℣. 354. censent esse Tagum, nec immerito.

Nec stupori sit Tibi
Quod in feroci, barbaroque stat loco
Cognomen hujus Græciæ accipis sono
Prorepit amnis.

NIC. ANTONIUS pro *stat*, legit, *stans*. Ego ei assentiens, reliqua sic emendare pergo.

Nec stupori sit Tibi
Quod in feroci barbaroque stans loco
Cognomen hujus Græci accipiens soni,
Prorepit amnis: ista Phœnices prius
Loca incolebant. Rursus hincse litoris
Fundunt arenæ, & litus hoc tres insulæ
Cinxere late. Hic terminus quondam stetit
Tartessiorum, hic Herna Civitas fuit
Gymnetes istos gens locos insederant.

Nunc

Nunc destitutus, & diu incolis carens
Sibi sonorus Alebus amnis effluit.

62. Atque hactenus quidem AVIENUS. STRABO *Lib. III. pag.* 103. plerasque Turdetaniæ urbes a Phoenicibus habitari ait. Difficile nunc est eas distinguere. Fortasse *Belon* una ex illis fuit, cujus mentionem fecerunt STRABO *Lib. III. pag.* 96. PLINIUS *Lib. III. cap.* I. ANTONINUS loquens de *Trajectu a Bælone in Tingin.* PTOLEMÆUS de Turdulis verba faciens *Lib. II. cap.* 4. STEPHANUS BYZANTINUS in *Belon.* Quid enim obstat quominus nomen ei fuerit inditum in memoriam Beli Tyriorum urbis, de qua SCYLAX in *Periplo Syriæ & Phœniciæ pag.* 102. aut amnis Beli, qui e Phoenicia oriebatur, ut ait PLINIUS *Lib. V. cap.* 19. & *Lib. XXXVI. cap.* 26.

63. Ad Phoenicias Colonias verisimiliter etiam referri potest *Succubo*, cujus meminit PLINIUS *Lib. III. cap.* I. unde traxit originem M. ANTONINUS Philosophus: nam, ut ait JULIUS CAPITOLINUS in ejus Vita, *ejus proavus paternus Annius Verus prætorius ex Sucubitano municipio in Hispania factus Senator.* Legi ego Bochartum alicubi indicasse, *ubbo* lingua Phoenicia significare *portum.* Quod si verum est, municipium fuit maritimum originis Phoeniciæ, fortasse diversum *ab ucubi, cujus meminit* HIRTIUS *Lib. I. de Bello Hispaniensi pag.* 501. 502. 508. 509. & 511.

64.

64. Verum multo certius est inter Phoenicum Colonias numerandam esse insulam Cartare, quæ hodie dicitur *de Saltès*. Sed operæ pretium erit AVIENUM audire, & obscurum ejus contextum explicare. Igitur in *Ora Maritima* a ℣. 248. ita scripsit:

Anhyberus inde manat amnis, & locos
Fœcundat unda. Plurimi ex ipso ferunt,
Dictos Hiberos, non ab illo flumine,
Quod inquietos Vasconas prælabitur.
Nam quidquid amni gentis hujus adjacet
Occiduum ad axem, Hyberiam cognominant.
Pars porro Eöa continet Tartessios,
Et Cilbicenos. Cartare post insula est,
Eamque pridem influxe, satis est fides,
Tenuere Cempsi: proximorum postea
Pulsi duello, varia quæsitum loca
Se protulere. Cassius inde mons tumet,
Et Graja ab ipso lingua Cassiterum prius
Stannum vocavit.

Pro *Anhybero* reponendum est *Hiberus*, quem puto esse amnem *Odiel*, cui convenit *locos*, sive agros *fœcundare*; non vero *Urio* (*el Rio Tinto*) qui eos urit.

65. *Cartare* insula proculdubio est; quæ hodie dicitur *de Saltès*; nam hæc est unica insula maritima in illa ora ab Ana flumine ad Bætin. Reliquæ sunt fluviales, & temporariæ ex æstu provenientes, quas Hispane dicimus, *Islotes*. Hujus insulæ meminit STRABO *Lib. III. pag.* 117. ubi loquens de Ty-

Tyriis, & narrans ea quæ Gaditani referebant, scripsit: *Aliquanto post tempore missos* (Tyrios) *extra Fretum progressos ad* 160. *stadia, ad insulam venisse Herculi sacram, e regione Onobæ Hispanæ urbis sitam.* Onoba e regione insulæ non est *Gibraleon*, ut voluit CARUS *Lib.* III. *Antiquit. Hispal. cap.* 75. quod dubitanter retulit NIC. ANTONIUS in *Censura Historiarum fabulosarum, Lib.* VI. *cap.* 3. *num.* 47. sed *Huelva.* Hanc insulam, & oppidum ei proximum descripsit Geographus Nubiensis, *Climatis* 4. *Parte* 1. *pag.* 152. hoc modo. *Huic* (Climati Bahairæ) *accedit Provincia Sciorf.* (id est, Nobilitatis) *inter Siviliam, Lablam* (*Niebla, olim Ilipla*) *& Mare Tenebrosum* (id est, Oceanum) *conclusa, sub qua comprehendebantur hæc loca munita, Castellum Alcatsr* (id est, Arcis, & inde Hispana vox *Alcazar*) *urbs Labla, Velba, insula Saltis.* Et distinctius *pag.* 155. *Urs Labla pulcra est, ac vetustissima, habetque ab oriente flumen* (el rio Tinto) *ex partibus montis ad ipsam excurrens, & stratus pons viam aperit ad urbem. Distat autem prædicta urbs Labla a mari Oceano* VI. M. P. *Ibi in eodem loco est etiam urbs Huelva, insulam Saltis prospectans: nam e plaga meridionali hujus insulæ, quæ habet in longitudine mille passus, & amplius, jacet urbs prædicta: atque illic exstat sinus maris, ostium fluminis Lablæ excipiens, quod ostium, quia mille passum latitudinem*

ibi

ibi superat, naves penetrare non desistunt usque ad angustas faces, in quibus ille sinus, ad simplicem alvei fluminis latitudinem redigitur, adeo ut semijactus lapis alteram feriat ripam. Erumpit autem flumen illud e radicibus montis, super quo condita est urbs Huelva, & ab eo fonte patet via usque ad Lablam. Ab urbe Saltis ad insulam Gades habentur centum M. P. Hæc igitur insula est, de qua ait AVIENUS.

Cartare post insula est
Eamque pridem influxe, satis est fides,
Tenuere Cempsi.

Quæ verba sine sensu sic restituo:

Eamque pridem, ni fluxa factis est fides,
Tenuere Cempsi.

Fluxa fides legitur apud Tacitum *Lib. III. Hist. cap.* 48. AVIENUS eodem sensu loquutus est, ut mihi videtur.

66. *Onubæ* situm designavit PLINIUS *Lib. III. cap.* I. ubi Bæticam describens, ait. *Ex his* (oppidis) *digna memoratu, aut Latiali sermone dictu facilia, a flumine Ana, littore Oceani, oppidum Onoba Lusturia cognominatum. Interfluentes, Luxia, & Urium, Ariani montes: Bætis fluvius.* Ubi recte Maillardi editio habet, *Onoba*, cum in plurimis aliis exemplaribus male, *Ossonoba* legatur. *Onoba* autem, *Lusturia* cognominatur, ut distinguatur ab alia *Onoba* sita prope Cordubam, de qua PLINIUS *Lib. III. cap.* I. Dicta autem fuit *Lusturia* a duobus amni-

mnibus, *Luxia*, nunc *Odiel*, & *Urio*, *rio Tinto*: & quia illi proximior, quam huic, illius nomen in priore cognominis parte expressum est, hoc in posteriore. Optima igitur lectio est *Lusturia*, aut, quod idem est, *Listuria*, ut eam vocavit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 4. Cum autem Martianus Heracleota Ptolemæum eximie laudaverit, *sapientissimum eum*, *&* *divinissimum* vocans, *pag.* 2. *&* 6. proculdubio ubi in aliquibus exemplaribus legitur *Asturia*, ipse scripsit *Lusturia* cum facilis sit permutatio Λ. & A; atque ita quidem scriptum fuit in codice Hervuorti teste Hoeschelio *pag.* 40. Ex *Asturia*, autem nata est apud PLINIUM depravata lectio *Æstuaria* incitante loci conditione, nam *Onuba* sita est in *æstuario*: sed hoc ei commune est cum multis aliis oppidis. Illud obiter admoneo, scribendum esse *Onuba* cum quinta vocali ut ex nummis apparet. Ad amnem vero *Luxiam* quod attinet, alius est, per Mauritaniam fluens, qui *Lixus*, *&* *Linx* dicitur, teste STEPHANO in *Lix*, juxta quem amnem sita fuit *Lixus* urbs Phoenicum, ut refert SCYLAX CARYANDENSIS in *Periplo, cap. de Carthagine*, *pag.* 124. & ut ait PLINIUS *Lib. XIX. cap.* 5. oppidum *Lixus* fuit in æstuario, ubi Hesperidum horti fuisse produntur juxta delubrum Herculis, antiquius Gaditano, ut ferunt, quæ omnia arguunt Phoenicum originem. Prisci Gaditani huc usque navigabant navigationis caussa;

nam

nam STRABO *Lib. II. pag.* 68. loquens de secunda Eudoxi Cyzineni navigatione, qua ventis supra Æthiopiam delatus fuit, refert inde in Ægyptum retulisse proræ summitatem, quam exhibuit naucleris, *fuisseque ab his edoctum, Gaditanæ esse id navis: nam Gaditanorum mercatores ingentibus uti navibus; pauperes parvis, quas equos appellent a proræ insignibus, iisque eos piscandi gratia usque ad Lixum amnem circa Maurusiam navigare, atque adeo quosdam nauclerorum agnovisse lignum illud unius eorum fuisse, qui ulterius a Lixo fluvio navigarant, neque reversi fuerant.* Atque ex illa consideratione nata fuit Eudoxi navigatio in Urbem Gaditanam.

67. Sed Avieni narrationem sequamur. *Casius* mons est *Sierra Morena*, ut optime vidit FLORIANUS CAMPENSIS *Lib. III. c.* 7. *fol.* 133. *pag.* 1. & *fol.* 135. *pag.* 1. Hic autem mons fortasse ita dictus a Phoenicibus ob gratam memoriam montis Casii in Syria siti, de quo STRABO, & alii Geographi. Ideoque uno s. scribi debet, ut admonuit CLAUDIUS SALMASIUS in *notis ad Ælium Spartianum*, *pag.* 26. quam conjecturam confirmat ipse AVIENUS cum ait:

Casius inde mons tumet,
Et Graja ab ipso lingua Cassiterum prius
Stannum vocavit.

non enim ait, montem a Græcis nomen accepisse; sed Græcos ex monte Casio stannum

num vocavisse *Cassiterum*.

68. Sed ab insula *Cartare* ad Fretum Herculeum redeamus, legamusque inde oram maritimam Hiberici maris, in quo multæ fuerunt Phoenicum Coloniæ, & inter eas etiam aliæ Punicæ. Nam MARTIANUS HERACLEOTA in *Periplo Partium Bæticæ a Calpe usque ad terminos Lusitaniæ*, ita scripsit: *A Calpe monte & Columna, quæ in principio maris interioris est, enaviganti in Fretum Oceanumque, & a dextra habenti Iberiæ continentem ad Cartheiam stadia sunt* 50. *Hic accolit gens Bastulorum, qui dicuntur Pœni.* PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 4. recensens Bastulorum oppida, hæc enumeravit. *Menralia* (hoc est, *Mellaria*, hodie *Beger de la miel*) *Transducta*, *Barbesula* (quam MELA *Lib. II. cap.* 6. vocavit *Barbesul*) *Carteia*, de qua sic idem MELA *eod. Lib.* & *cap. Sinus ultra est, in eoque Carteia* (*ut quidam putant*) *aliquando Tartessos* (eodem modo loquutus fuit STRABO *Lib. III. p.* 104. id autem inter alios credidit B. HIERONYMUS in *Proœmio Lib. II. in epist. ad Galatas*) *& quam transvecti ex Africa Phœnices habitant, atque unde* (melius *inde*) *nos sumus.* Fuit igitur *Carteia* Phoenicum Colonia: postea Libyphoenicum habitatio, de quibus egit POLYBIUS *Lib. III. cap.* 33. & LIVIUS *Lib. XXI. cap.* 22. De ea egit ARTEMIDORUS *Lib. II. Geographicorum* apud STEPHANUM in *Carthæa. Clape mons & Co-*

lu-

lumna interioris maris. In Iberico vero mari Barbesolæ fluminis ostia. Suel , cujus oppidi meminit PLINIUS *Lib. III. cap.* I. atque inscriptio apud REINESIUM *Classe I. num.* 99. & videtur fuisse originis Phoeniciæ : nam ut scripsit THOMAS PINEDUS in observationibus ad STEPHANUM BYZANTINUM *de Urbibus v. Azani* Hebræum *Sonhal* significat vulpem : ideoque idem videtur esse, *Suel* , ac *locus vulpium*. Equidem POMPONIUS MELA *Lib. II. cap.* 6. *Suel* memoravit inter oppida Phoenicia. Saducæ fluminis ostia. Malaca : de qua ita STRABO *Lib. III. pag.* 108. *In hac ora prima urbs est Malaca , tanto a Calpe , quantum ab hac Gades , intervallo. Ea habet emporium, quo utuntur qui in opposito litore vivunt , multumque ibi conficitur salsamenti. Sunt qui hanc eandem putant cum Mænaca , quam ultimam Phocæorum versus occasum civitatem accepimus ; sed errant ; nam Mænacæ longius a Calpe dissitæ atque eversæ rudera Græcanicæ urbis vestigia retinent : Malaca magis ad Punicæ* (id est , Phoeniciæ) *formam accedit.* Quare cum multum ibi conficeretur salsamenti ; videtur *Malaca* vocata ab Hebraico verbo *Malach* , id est , *salivit. Manoba*, quæ apud MELAM *Lib. II. cap.* 6. STRABONEM *Lib. III. pag.* 99. & PLINIUM *Lib. III. cap.* I. dicitur *Mænoba*. Sed verum ejus nomen videtur esse *Menuba*, ut apparet ex inscriptione , quam affert NIC. AN-

TONIUS in *Censura Historiarum fabulosarum Lib.* VI. *cap.* I. *n.* 30. quam lectionem comprobavit HIERONYMUS PAULLUS in libello *de Fluminibus Hispaniæ. Sex*, Straboni Exitanorum urbs, unde Salsamentis Exitanis nomen, *Lib.* III. *pag.* 108. *Salambina*, hodie *Salobreña*, quasi Syriace dixeris *Urbs Veneris.* ÆLIUS LAMPRIDIUS in Vita *Heliogabali* ait, *eum Salambonem etiam omni planctu, & jactatione Syriaci cultus exhibuisse. Salambo* Veneris est epitheton, ut ibidem ait Salmasius. Adde Etymologum Magnum *v. Salambas.* Hispali etiam cultum idolum *Salambonem* constat ex Actis Sanctarum Justæ & Rufinæ apud BONINUM MOMBRITIUM. *Exoche. Abdara* (MELA scripsit *Abdera, Lib.* II. *cap.* 6. itemque STRABO *Lib.* III. *pag.* 108. ubi ait eam Poenorum, hoc est, Phoenicum *opus.* Hodie vocatur *Adra. Portus Magnus*, hodie *Puerto Polman.* Charidemi promontorium (nunc *Cabo de Gata*) *Baria*, sive *Barea*, de qua PLINIUS *Lib.* III. *cap.* 3. Atque hactenus PTOLEMÆUS, quem obiter illustrare visum fuit.

69. An *Eldana* urbs Vaccæorum, cujus meminit PTOLEMÆUS *Lib.* II. *cap.* 6. fuerit originis Phoeniciæ, dubitari potest, cum *Eddana*, urbs ad Euphratem sita, Phoenicum Colonia fuerit, ut refert STEPHANUS BYZANTINUS in *Eddana*; & facile mutari potuerit D. in L.

70. Certe non sine aliqua verisimilitudi-

dine audebo dicere, prisca nomina propria oppidorum, quæ fuerunt, aut adhuc permanent in Hispania, finita in IPO suam originem debere Phoenicibus. Conjecturam inde duco, quod omnium gentium proprium est dictionem aliquam frequenter usurpare in oppidorum nominibus. Quo posito audiamus Sallustium. Is in *Bello Jugurtino*, *cap.* 22. ita scripsit: *Postea Phœnices alii multitudinis domi minuendæ gratia, pars imperii cupidine, solicitata plebe, & aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum, Leptim, aliasque urbes brevi multum auctæ, pars originibus suis præsidio, aliæ decori fuere. Hippo* igitur Colonia fuit Phoenicum, cujus nominis originem dicitur BOCHARTUS deduxisse ab *Ubo*, vel *Ubbo*, quæ Syriace idem significant, ac sinus, ubi *Hippo* Africana condita fuit. Sed si hanc significationem extendamus ad Hispanorum oppidorum nomina desinentia in IPPO, nimis longe petita videbitur, cum sinus nomen parum aptum sit ad tot oppida distinguenda. Equidem Arabice *Ubbon* tam stagnum, quam sinum significat, & prior significatio facilius accommodari potest. Quidquid autem sit de hujus vocis notatione, quæ mihi videtur scitu difficilis, cum *Hipo* Africana fuerit Colonia Phoenicum, ex parte verisimile est quod ALDRETUS notavit *Lib. III. Originis linguæ Castellanæ*, *cap.* 9. *pag.* 340. *in margine* in Hispaniis *Hipponem*, unam *Caurasiorum* in

Conventu Hispalensi, & aliam prope Toletum, & aliam *novam* in Ulteriori, Phoenices condidisse. Dixi *ex parte*; nam quod ait de *Hippone Caurasiorum*, proculdubio falsum est. Etenim *Hippo Caurasiorum* nunquam fuit; & si quondam exstitisse existimatum sit, ob depravatam PLINII lectionem. Nimirum *Lib.* III. *cap.* I. sic legebatur: *Vergentum, quod Julii genitor. Ippo Caurasiarum.* Sed CARUS *Lib.* III. *Antiq. Hispal. cap.* 20. acute vidit legendum esse: *Vergentum, quod Julii Genius, Orippo, Caura, Siarum.* Præterea apud eundem PLINIUM *eod. cap.* in aliquibus codicibus legitur, *Iphonoba*, quod mihi displicet: in aliis *Hipponova*, quod vereor an Grammaticis displiceat propter genus femininum; in aliis *Hipponoba*: quæ lectio mihi probabilior videtur. Solummodo igitur superest Hippo situs prope Toletum, cujus meminit LIVIUS *Lib.* XXXIX. *cap.* 30.

71. Sed ut redeam ad notationem nominis, quo de agimus, mihi verisimilius videtur, *Hippo* significare *oppidum*, cum *Julipa* idem esse videatur ac *Julii oppidum*, cujus verum nomen colligitur ex gentili *Julipense*, quod distincte legi asseverant oculati testes, JOHANNES FERNANDEZ FRANCO, Philippi Secundi Historiographus, laudatus a MARTINO DE ROA, & RUDERICO CARO in *Antiq. Hispal. Lib.* III. *cap.* 11. *f.* 99. & NIC. ANTONIUS in *Censura Historiar.*

fa-

fabulosar. Lib. VI. cap. 2. *num.* 4. & in *Biblioteca Veteri Hispana Lib. VI. cap.* 7. *num.* 159. & *Lib. VII. cap.* 7. *num.* 120. quibus adjungi debet BERNARDUS ALDRETE in *Antiq. Africæ Lib. III. cap.* 21. *pag.* 417. unde corrigenda est inscriptio apud MORALEM *Lib. IX. cap.* 28. *fol.* 286. OCCONEM, *pag.* 23. *num.* 12. GRUTERUM *pag.* 146. *num.* 7. HARDUINUM in *Nummis antiquis v. Ilipa*, & ad PLINII *Lib. III. pag.* 182. *num.* 11. JOSEPHUM PARDUM in *Dissert. de Conditione, nomine, & antiquitate urbium Hispalis, & Italicæ pag.* 6. & apud TAMAJUM in *Martyrologio Hispano, tom. V. die* 14. *Septembris, pag.* 188. ubi egregii illius monumenti forma conspicitur. Atque ipse BOCHARTUS verisimilius *Ilith-peah*, interpretatur *celsam plagam.* Quapropter si Coloniæ, quorum nomina desinunt in IPPO, Phoenicibus debentur, in hunc censum venire debent sequentes.

72. *ACCINIPPO*, Celticæ oppidum apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 1. & PTOLEMÆUM *Lib. II. cap.* 4.

73. *BÆSIPPO* collocatur a PTOLEMÆO in Turdetanis *Lib. II. cap.* 4. qui habitabant ad Fretum Herculeum, ut ait STRABO *Lib. III. pag.* 95. & ibi ponitur etiam a POMPONIO MELA *Lib. II. cap.* 6. appellaturque a PLINIO *Portus Bæsippo Lib. III. cap.* 1. cujus meminit ANTONINUS in *itinere a Malaca Gadis*, & RAVENNAS *Lib.*

IV. cap. 43. Ejusque ruinæ visuntur ad promontorium *Trafalgar*, & hodie dicuntur esse *Aguas negras*, teste JOHANNE CONDUITH. Fuit autem hoc oppidum Gaditani Conventus, & stipendiarium teste PLINIO *Lib. III. cap.* 2.

74. *BASILIPPO* occurrit apud ANTONINUM in *itinere a Gadibus Corduba*, prope Hispalin, ut ait RAVENNAS *Lib. IV. cap.* 45. ubi nominavit eam *Basilipam*, id est, ut existimo, Regum oppidum.

75. *BELIPO* exstat apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 2. & ejus nomen, ut alibi dixi, originem Phoeniciam videtur arguere.

76. *CEDRIPO* amisit nomen. Sed L. Cæsius Maximinus Cedriponensis memoratur in lapide reperto in oppido Estepa, cujus inscriptio legitur apud MORALEM in *Antiquit. fol.* 81. *pag.* 2. OCCONEM *pag.* 3. *n.* 7. & MURATORIUM *Tomo* 2. *Thesauri veter. Inscript. pag.* 1037. *n.* 2. quam immerito GRUTERUS *inter spuria retulit pag.* 14. *num.* 9.

77. *COLLIPO* invenitur apud PLINIUM *Lib. IV. cap.* 21. in Pæsuris juxta flumen Vacuam. Decuriones Colliponenses memorantur apud GRUTERUM *pag.* 323. *num.* 8. in inscriptione reperta Leiriæ in Lusitania. Unde apud eundem GRUTERUM *pag.* 1155. *num.* 7. pro *Collipronensi* legendum est *Collipponensi*.

78. *DIPONE* fortasse huc referri debet,

bet, occurritque apud ANTONINUM in *itinere ab Olisipone Emeritam*, & apud RAVENNATEM *Lib. IV. cap.* 44. sub nomine *Bippone*.

79. *ILIPO* amisisset hominum memoriam nisi ejus existentia colligeretur ex gentili, *Iliponenses*, quod reperitur apud GRUTERUM *pag.* 351. *num.* 5. unde emendanda, & supplenda est, inscriptio *pag.* 305. *num.* 8. quam GRUTERUS non habuit, ut ipse refert, ex Morali, qui nusquam eam protulit, sed ex OCCONE *pag.* 4. *n.* 3. qui Moralis testimonium adduxit quidem, sed pertinens ad inscriptionem subsequentem: in quo facilis fuit GRUTERI error. Sed non æque excusandus HARDUINUS, qui in *Notis*, & *Emendationibus ad Plinii Lib. III. num. XI.* & in *Nummis antiquis v. Ilipa*, gentile *Iliponense* deductum ab *Ilipo* cum *Ilipense* derivato ab *Ilipa* confudit.

80. *IRIPPO* ex nummis solum cognoscitur.

81. *LACIPPO* invenitur apud MELAM *Lib. II. cap.* 6. & PLINIUM *Lib. III. c.* 1. Et MELA oppidum hoc enumeravit inter alia quæ sunt originis Phoeniciæ.

82. *OLISIPO*, de quo VARRO *Lib. II. de Re rust. cap.* 1. & MELA *Lib. III. cap.* 1. nomen dedit Promontorio Olisiponensi, quod alii Artabrum appellavere, alii Magnum teste PLINIO *Lib. IV. cap.* 22. qui dixit, *Olisipo equarum e favonio ventu con-*

ceptu nobile, quod inculcavit *Lib. VIII. c.* 42. post VARRONEM *Lib. II. de Re Rustica cap.* I. & COLUMELAM *Lib. VI. cap.* 27. quam opinionem sequuti sunt SILIUS ITALICUS *Lib. III. Punicor.* ℣. 380. & *Lib. XVI.* ℣. 365. ÆLIANUS *Lib. IV. de Hist. Animal. cap.* 5. & MARTIANUS CAPELLA *Lib. VI. cap. de Divisione Terræ. Mirabile dictu*, ut cum Virgilio dicam in re pari *Lib. III. Georgicor.* ℣. 275. Verum hoc optime JUSTINUS declaravit *Lib. XLIV. c.* 3. *In Lusitanis* (inquit) *juxtà flumen Tagum vento equas fœtus concipere multi auctores prodidere, quæ fabulæ ex equarum fœcunditate, & gregum multitudine natæ sunt: qui tanti in Callæcia, & Lusitania ac tam pernices visuntur, ut non immerito vento ipso concepti videantur.* Similem fabulam narravit HOMERUS *Lib. XX. Iliados.* Vide Cl. virum FRANCISCUM FERDINANDUM DE CORDOVA in *Didascalia multiplici*, *cap.* 48. *Olisipo*, *Felicitas Julia* cognominatum, teste PLINIO *Lib. IV. cap.* 22. PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 5. appellavit illud *Oliosippon.* Sed verum ejus nomen est *Olisipo*, ut apparet ex eleganti hac inscriptione reperta *Petris nigris*:

L. CAECILIO. L. F. CELERI. RECTO
QVAEST. PROVINCIAE. BAET
TRIB. PLEB. PRAETORI
FELICITAS. IVLIA. OLISIPO

quam inscriptionem debeo doctissimo viro Tho-

Thomæ Cajetano de Bem, Clerico Regulari, cujus infatigabili diligentia plurima ejusmodi monumenta Respublica Litteraria expectare debet. Hinc apparet non esse scribendum *Ulysipo*, sed *Olisipo*, ut legitur etiam in aliis lapideis monumentis apud GRUTERUM *pag.* 252. *n.* 5. & 273. *n.* 2. & CARUM in *Antiquit. Hispal. Lib.* III. *c.* 73. *fol.* 203. *col.* 1.

83. Apparet etiam, fabulosum esse, quod SOLINUS scripsit *cap.* 8. *oppidum Ulysippo ab Ulysse* conditum, quod transcripsit B. ISIDORUS *Etymol. Lib.* XV. *cap.* 1. sed prius probandum erat, Ulyssem in Hispaniam venisse. Vere apud STOBÆUM *sermone* 4. *Bion Grammaticus ajebat, errores Ulyssis inquirentes non animadverterunt suos, neque animadvertere quod in hoc ipso errarent, in vanis, & inutilibus illis laborantes.* Sed egregie ad nostrum propositum SENECA *epist.* 88. *Quæris, Ulixes ubi erraverit, potius, quam efficias ne nos semper erremus? Non vacat audire, utrum inter Italiam, & Siciliam jactatus sit, an extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus.* Adde GELLIUM *Noct. Atticar. Lib.* XIV. *cap.* 6.

84. *ORIPPO* occurrit apud PLINIUM *Lib.* III. *cap.* 1. cujus loci restitutionem debemus RUDERICO CARO *Lib.* I. *Antiq. Hispal. cap.* 20. Occurrit etiam apud ANTONINUM in *itinere a Gadibus Corduba*, ubi

HIE-

HIERONYMUS ZURITA sic scripsit : *Exstat apud me nummus vetustissimæ notæ , cujus altera parte effigies humani capitis visitur sine nomine , ante os uva adposita , & in aversa parte Apisbos genibus flexibus : quasi adorans , cauda sursum detorta versus crescentis lunæ ortum : & infra Orippo : cujus hieroglyphicæ imaginis ratio apud Plinium Lib.* VIII. *pluribus explicatur.* AMMIANUS *Lib.* XXII. *cap.* 13. *Apin Lunæ dedicatum, qui diversis notarum figuris exprimeretur.* Itaque in vetere illo nummo æreo apud Focaultium , ubi *Irippo* legebatur , aliud oppidum designabatur. Hodie autem *Orippo* dicitur *Dos hermanas* , si CARO credimus , sed verius *Estepa la nueva.*

85. *OSTIPPO* fuit oppidum liberum pertinens ad Conventum Astigitanum , ut refert PLINIUS *Lib.* III. *cap.* I. ANTONINUS *in itinere a Gadibus Corduba* , collocavit illud inter *Ilipam* (hodie *Peñaflor*) & *Barbam* , cujus Presbyter Januarius subscripsit in Concilio Iliberritano. JOHANNES HARDUINUS in *notis* ad PLINIUM *Lib.* III. *cap.* I. *num.* 13. voluit , *Ostipo* esse *Astapam* , quam memorarunt LIVIUS *Lib.* XXVIII. *cap.* 22. & APPIANUS *in Ibericis* , *pag.* 922. quem male intellexit STEPHANUS BIZANTINUS , qui in v. *Astapai* , ita scripsit : *Astapæi* , *gens Libyæ* , *cujus Appianus libro sexto meminit* : nam ut optime admonuit PHOTIUS *cod.* LVII. APPIANUS *Lib.* VI. *Romanorum Hiberica*

scri-

scripsit, & ut ex eodem APPIANO; & LIVIO constat, *Astapæi*, non Libyci, sed Hispani fuere, qui semper steterunt in Carthaginiensium partibus, ut laudati LIVIUS, & APPIANUS referunt: qui cum hoc addiderint, Astapæos a Romanis obsessos in summa rerum desperatione, pretiosissimis rebus suis in unum locum congestis, & conjugibus liberisque suis trucidatis, ac postea concrematis, se etiam in ignem conjecisse; proculdubio ex eo tempore oppidum illud frequentari desiit: & licet APPIANUS memoret, Martium Astapæorum virtutem miratum in tecta non sæviisse; tamen LIVIUS congruentius ait: *ita Astapa sine præda militum ferro ignique absumta est.* Idque est verisimilius, cum ex eo tempore nullus Historicorum & Geographorum ejus oppidi mentionem fecerit. Quare nulla probabili conjectura asseruit HARDUINUS, *Ostipo esse Astapam.* Imo contrarium facile evincitur. Nam *Ostipo* nomen retinet in lapidibus inscriptis repertis in oppido *Estepa*, quos legit eruditissimus MARTINUS VAZQUEZ SIRUELA, ut ipse testatur in epistola, quam cum esset in ipsa Estepa, NIC. ANTONIO misit v. Nonas Julias anni 1650. Cum autem I. & V. promiscue usurpentur, ut videre est in *Asturia*, & *Astyria* apud Muratorium *tomo II. Novi Thes. veter. Inscript. pag.* 1057. *n.* 3. *Lusitania*, & *Lysitania*, *in Tyri*, & *Turia*; *in Tyde* & *Tui*; idem oppidum fuisse puto *Osti-*

stipo, ac *Ostupo*, in nummo, quem vidit Emmanuel Martinus, ut ipse ait *epist.* 15. *Lib. VII.* *Astapa* autem proculdubio sic nominata fuit, cum STEPHANI BYZANTINI Epitomator, qui litterarum ordinem servavit, cives ejus nominavit Astapanos. AMBROSIUS MORALES in *Antiquit. fol.* 81. ait Astapam esse hodie, *Estepa la vieja.* Unde in Estepam hodiernam translati sunt lapides inscripti. *Orippo* autem est hodierna *Estepa*, ut ait MARTINUS VAZQUEZ SIRUELA, docentibus Inscriptionibus, quas ipse vidit, sed quarum copiam non fecit.

86. *SERIPPO* fuit oppidum in Celtica situm auctore PLINIO *Lib. III. cap.* I.

87. *VENIPPO* legit EMMANUEL MARTINUS in numismate quod ipse possedit, ut ipse testatur in *epist.* 3. *Lib. VIII.* Sed legendum esse *Ventippo* secundum nummum melius conservatum admonuit HENRICUS FLOREZIUS *tomo X. Hispaniæ Sacræ*, *pag.* 80. Dubito autem an apud auctorem de *Bello Hispaniensi Lib. VI. pag.* 514. ubi legitur: *in sequenti tempore Ventisponte oppidum cum oppugnare cœpisset*, reponi debeat *Ventipponem*: quam lectionem libenter substituerem.

88. Aliquando IPO, vel potius IPA ita ut exigit compositio, præponitur cum eadem, ut existimo, significatione: ut in *Ipagro* apud ANTONINUM in itinere *a Gadibus Corduba*: & in *Ipasturgi* apud PLINIUM *Lib. III. cap.* I. quæ urbes memorantur a Rege

Si-

Sisebuto in *l.* 13. *tit.* 2. *Lib.* XII. legum Wisigothorum , ubi pro *Sturgi* legendum *Ipasturgi*.

89. At vero si alicui memoratæ Coloniæ non Phoenicum , sed Carthaginensium fuisse videantur , argumento ducto ab ipsa Carthagine , quæ Phoenicum fuit Colonia ; & tamen ejus cognomen *Carthago Nova* , Colonia fuit Carthaginiensium ; nullo modo repugnabo ; præsertim cum Coloniæ , quorum nomina desinunt in IPPO multæ sint , & earum multitudo tantam antiquitatem præ se ferre non videantur. Idemque dici poterit de *Lepti* : nam Africana , ut vidimus apud SALLUSTIUM *de Bello Jugurthino* , *cap.* 22. quem sequutus fuit PLINIUS *Lib.* V. *cap.* 20. & B. ISIDORUS *Etymol. Lib.* XV. *cap.* I. fuit Colonia Phoenicum : ideoque *Sarrana* dicitur a Silio Italico Punicor. *Lib.* III. ℣. 256. id est Tyria ut explicavit Servius ad illud VIRGILII *Lib.* II. *Georgicon.* ℣. 506.

Et Sarrano indormiat ostro.

Cui adde Festum *in voce Sarra*, & ibi SCALIGERUM : & GELLIUM *Noct. Atticar. Lib.* XIV. *cap.* 6. sed *Hispana Leptis* , quam memoravit CÆSAR *Lib.* IV. *de Bello Alexandrino pag.* 425. potuit esse Phoenicum , aut Poenorum Colonia.

90, Illud omittendum non est , in Bæticæ nummis sæpe videri lunam , cujus superstitiosus cultus verisimiliter originem duxit a Phoenicibus , qui Astaroth coluerunt, uti

uti legimus *Lib. IV. Regum cap.* 22. ℣. 13. Astarot autem sive Astarte est Luna ut docuit LUCIANUS in libello de *Dea Syria*.

91. Atque hæc de Phoenicibus in Hispaniam adventu, & eorundem Coloniis indicasse sufficiat.

CAP. XV.

De Celtarum adventu in Hispaniam, & de eorundem Coloniis.

1. TRactemus nunc de Celtarum adventu quem indicavit Varro apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 1. & STRABO *Lib. III. pag.* 109.

2. Antiquissima Celtarum mentio est Herodoti, qui *Lib. II. cap.* 33. ita scripsit *Celtæ autem sunt extra cippos Herculis, Cynesiis finitimi, omnium in Europa ad occasum habitantium ultimi.* Hanc sententiam confirmavit Ephorus, de quo ita STRABO *Lib I. pag.* 23. *Ephorus quoque antiquam de Ethiopia opinionem refert, in Oratione de Europa indicans cœli ac terræ locis in quatuor deductis partes, eam quæ est versus subsolanum habitari ab Indis: quæ versus austrum, ab Æthiopibus: quæ versus occasum a Celtis: aquiloni objectam a Scythis, additque Æthiopiam Scythia esse majorem.* SCYMNUS CHIUS eandem opinionem confimans designavit Celticæ situm, a *versu* 163.

Tar-

Tartessus, illustris urbs,
(sita scilicet ad Bætin amnem)
Fluvio vectum plumbum ex Celtica,
Aurumque, & æs ferens plurimum
Deinde regio Celtica vocata,
Usque ad mare quod Sardiniæ adjacet,
Quæ maxima est ad occidentem gens.
Eam etenim quæ intra ortum est omnem fere
Incolunt Indi. Eam vero quæ est ad meridiem,
Æthiopes, prope siti austri flatum.
Quia zephyro est, Celtæ vero usque ad occasum locum
Æstivum habent. Eum vero, qui ad Boream est, Scythæ.
Indi itaque inter æstivum ortum
Et hybernum habitant. Celtæ vero rursus
Ab æquinoctiali occasu solis.

3. Multo antea SCYLAXS CARYANDENSIS scripserat: *Post Tyrrhenos est Celtarum gens, qui relicti sunt in expeditione ad angustias usque Adriam.* Celtarum etiam qui ad Adriam incolebant meminit STRABO *Lib.* VII. *p.* 208.

4. Fuerunt itaque Celtæ in Hispania, & Gallia, & ob diversitatem locorum nata distinctio inter Celtas Gallos, & Celtiberos, quam legimus apud ARISTOTELEM, si is auctor est utilissimi libri *de Mirabilibus auscultationibus*, *cap.* 91. ubi hanc legem utilem legimus *Ex Italia ferunt viam ad usque Celtas Gallos, & Celtiberos protendi, Heracleam*

vo-

vocant, in qua & Græci, & indigenæ transeuntes, ab incolis observantur, ne quid iis male forte accidat, quippe quod pœnas ii pendant, damnumque lege sarciunt, in quorum finibus datum fuerit.

5. De Celtis Gallis loquuti sunt, qui Galliæ divisionem docuerunt. Itaque C. CÆSAR *Librum I. de Bello Gallico* sic incœpit. *Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona & Sequana dividit.* C. CÆSAREM Pomponius Mela sequutus & *Lib. III. cap.* 2. ita scribens, & describens Galliam: *Regio quam incolunt omnis Comata Gallia. Populorum tria summa nomina sunt, terminanturque fluviis ingentibus. Nam a Pyrenæo ad Garumnam, Aquitania: ab eo ad Sequanam, Celtæ: inde ad Rhenum pertinent Belgæ.* Utrumque sequutus est C. PLINIUS *Lib. IV. cap.* 17. *Gallia omnis Comata uno nomine apellata, in tria populorum genera dividitur, omnibus maxime* (lego, *maximis* etsi sensus sit idem; nam Melam PLINIUS ante oculos habebat) *distincta. A Scalde ad Sequanam Belgica: ab eo ad Garumnam Celtica, eademque Lugdunensis. Inde ad Pyrenæi montis excursum Aquitanica, Armorica antea dicta.* Similia protulit AMMIANUS MARCELLINUS *Lib. XV. cap.* 10. qui posteaquam de Alpibus egit ad reliqua veniens, hæc scri-

scripsit: *Temporibus priscis cum laterent hæ partes barbaræ, tripartitæ fuisse creduntur, in Celtas eosdem Gallos divisæ, & Aquitanos: & Belgas, lingua, institutis, legibusque discrepantes. Et Gallos quidem qui sunt Celtæ ab Aquitanis Garumna disterminat flumen, a Pyrenæis oriens collibus, postque oppida multa transcursa in Oceano delitescens. A Belgis vero eandem gentem Matrona discindit, & Sequana, amnes magnitudinis geminæ: qui fluentes per Lugdunensem, post circum clausum ambitu insulari Parisiorum castellum, Lutetiam nomine, consociatim meantesque protinus prope castra Constantia funduntur in mare.* Distinctius STRABO Celticæ situm describens *Lib. IV. pag.* 122. ita scripsit: *Sunt qui Gallos trifariam dividunt, in Aquitanos, Belgas, & Celtas. De quibus Aquitani a cæterorum plane differentes non lingua modo sed & corporibus, Hispanis quam Gallis sint similiores. Reliqui Gallica specie, ne ipsi quidem omnes eodem utantur sermone, sed aliquid nonnulli habeant diversitatis: forma quoque reip. & vitæ rationibus nonnihil differant. Ergo qui Pyrenæ sunt proximi, eos Aquitanos, & Celtas vocant monte divisi Cemmeno.* Et post pauca verba: *Aquitanos ergo dicunt eos qui septentrionalia Pyrenæ, & Cemmeni accolunt usque ad Oceanum, in Garumnam fluvium. Celtas qui in alteram partem habitant versus mare quod est ad Massiliam & Narbonem, ac pertinent etiam usque ad*

quandam Alpium partem. Belgas reliquos Oceano propinqua tenentes usque ad Rheni ostia, & quosdam Rhenum accolentes. Sic enim etiam Divus CÆSAR *in suis Commentariis credidit.* AUGUSTUS CÆSAR *in quatuor partes Galliam divisit, ita ut Celtas Narbonensi Provinciæ attribueret, Aquitanos eosdem cum Julio faceret, iisque auctis decem alias gentes intra Garumnam, & Ligerin habitantes: reliquum in duas partes tribueret, unam Lugduno adjungeret usque ad superiora Rheni, alteram Belgis.* Quod de Celtis Narboni vicinis ait STRABO confirmat POLYBIUS *Lib. III. cap. 37.* his verbis: *Narboni vicina Celtæ habitant, & inde ad montes, quos Pyrenæos dicunt a nostro mari ad externum protensos.* Sed & ipse STRABO eodem *Lib. IV. pag. 131.* ita scripsit: *Hæc diximus de Gallis, qui Narbonensem Provinciam incolunt, qui quondam Celtæ appellabantur. Et arbitror ab his esse a Græcis nomen Celtarum universis Galatis seu Gallis inditum ob gentis claritatem.*

6. Didicimus ex C. CÆSARE, Romanos Celtas appellasse Gallos: nunc STRABO nos docet, Græcos eosdem dixisse Galatas. Merito igitur APPIANUS in *Ibericis* ita scripsit: *Celti quotquot Galatæ, & Galli nunc appellantur.* Addidit STRABO, se arbitrari omnibus Gallis inditum nomen Celtarum ob gentis* (Celtarum scilicet) *claritatem.* Hinc Celticam pro Gallia intellexit DIODORUS SICU-

LUS

LUS *Lib. v. cap.* 24. & EPHORUS, ac SCYMNUS CHIUS ob eandem claritatem, Celtarum nomine plurimas Nationes comprehenderunt.

7. Cum igitur fuerint Celtæ tam citra quam ultra Pyrenæos; merito ARISTOTELES uti vidimus, *Lib. de Mirabil auscultationibus cap.* 91. distinxit Celtas Gallos & Celtiberos; quorum illi Celtogalatæ dicuntur, hi Celtiberi, de quibus SILIUS PUNICOR. *Lib. III.* ℣. 340. ita cecinit:

Venere & Celtæ sociati nomen Hiberis.

Id est, *Celtiberi.* Quanquam eodem libro ℣. 417. ut eosdem distingueret quos proprie appellare debuerat *Celtiberos*, ob carminis rationem solummodo vocavit *Hiberos*:

Pyrene celsa nimbosi verticis arce
Divisos Celtis late prospectat Hiberos.

8. Inde etiam *Celtogalatiæ* nomen, de quo sic Marcianus Heracleota *in Periplo Iberiæ*: *Disjungit autem, & dividit* (Pyrene mons) *Iberiam a finitima Celtogalatia; adeo ut Iberia videatur esse maxima peninsula juxta Pyrenes cervicem adhærentem.* Et distinctius, atque superiora omnia confirmans in *Celtogalatiæ periplo* inquit: *Celtogalatia appellata in immensum quidem extenditur & per terram, & per mare. Divisa autem est in Provincias quatuor, Galliam Aquitanicam, & Galliam Lugdunensem, & Narbonensem. Sed tres quidem Provinciæ prædictæ adjacent Oceano, ad septentrionem conversæ. Narbonensis autem in nostro & interiori mari jacet,*

ad meridiem spectans. Periplum igitur ordine persequamur, incipientes ab Aquitania, gentibus Celtogalatiæ Oceanum Septentrionalem accolentibus.

9. Certe Iberia distinguebatur antea a Celtica: & maxime notabilia sunt POLYBII MEGALOPOLITANI verba ex *Lib. III. cap. 37. & 38.* quæ sic se habent: *Narboni vicina Celtæ habitant, & inde ad montes, quos Pyrenæos dicunt; a nostro mari ad externum porrectos. Reliqua pars Europæ quæ ab illis montibus ad Oceanum & Columnas Herculeas pertinet, partim a nostro, partim ab externo mari ambitur. Quæ porrigitur secundum mare nostrum portio, ad Columnas usque Herculis, Iberia nominatur: quæ secundum mare externum, quod & magnum indigetant, communem apellationem nondum invenit; quia non diu est cum fuit explorata: tota autem a Nationibus barbaris, iisque frequentissimis incolitur: de quibus postea sigillatim sumus dicturi. Porro quemadmodum de Æthiopia, in qua Asia & Africa se contingunt, nemo ad hæc usque tempora affirmare habet sitne continens terra, quæ inde versus meridiem se porrigit: ita plane quidquid inter Tanaim & Narbonem ad septentriones vergit, hactenus nobis est ignotum; nisi quid posthac curiosa investigatione de eo tracta didicerimus: qui de his locis aliter locuntur, aut scribunt, pro imperitis & fabularum concinnatoribus sunt habendi.* Hactenus Historicus gravissimus, & pru-

prudentissimus. STRABO autem *Lib. III. pag.* 114. distinguens tempora, ita scripsit: *Sane cum antiquitus Iberiæ nomine intellectum fuerit quidquid est extra Rhodanum & isthmum, qui a Gallicis coarctatur sinibus, nunc eam Pyrena terminant, vocantque peculari nomine Iberiam: Hispaniæ nomine eam tantum accipientes, quæ est intra Iberum. Priores autem eos Igletas vocabant, regionis cultores non amplæ, ut ait Asclepiades Myrleanus. Romani totam Regionem promiscue Iberiam & Hispaniam nominantes in Interiorem, seu Citeriorem, & Exteriorem, seu Ulteriorem dividunt. Sed tamen accommodata temporum rationibus administratione; alias aliter distingunt.*

10. Addere potuit STRABO, promiscue etiam *Celtiberiam* nominari, ut constat ex APPIANO *de Bello Hispaniensi*, licet alias *Celtiberiæ* nomen non ita late accipiatur, cujus caput, hoc est initium erant Segobricencenses, ut docuit PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. Callaicis erat finitima, ut ait STRABO *Lib. III. pag.* 113. & complectebatur Lusitaniam teste DIODORO SICULO *Lib. V. cap.* 34. & Pyrenæos attingebat, ut docuit idem DIODORUS *Lib. V. cap.* 35. ubi de illis montibus loquens, ait: *Hi & celsitate & magnitudine supereminent alios: nam ab Australi pelago ad Oceanum ferme Arcticum Galliam ab Iberia & Celtiberia dispescentes ad ter mille stadia pertingunt.* Sed quid verbis opus est?

STRABO *Lib. III. pag.* 111. ita Celtiberiam descripsit. *Porro Idubeda superata statim Celtiberia aditur, ampla regio, & inaequalis. Major ejus pars aspera est, & amnibus alluitur: nam per hanc defluunt Anas, & Tagus, ac deinceps alii fluvii, qui in Hispaniae hac parte orti in mare occiduum deferuntur. Ex his Durius fluvius Numantiam, & Serguntiam praeterlabitur. Baetis ex Orospeda ortus, per Oretaniam in Baeticam fluit.* Nunc optime intelligitur PLINIUS *Lib. II. cap.* I. ubi ita scripsit: *Quae autem regio a Baeti ad fluvium Anam tendit extra praedicta, Baeturia appellatur in duas divisa partes, totidemque gentes: Celticos, qui Lusitaniam attingunt, Hispalensis Conventus: Turdulos, qui Lusitaniam, & Tarraconensem accolunt, jura Cordubam petunt. Celticos a Celtiberis ex Lusitania advenisse manifestum est, sacris, lingua, oppidorum vocabulis, quae cognominibus in Baetica distinguntur.* Ait Celticos a Celtiberis ex Lusitania advenisse; nam Celtae postea dicti fuerunt Celtiberi, & Verones, ut de suo tempore testatur STRABO *Lib. III. pag.* 109.

II. Nunc jam apparet, qua ratione confusa fuerint haec nomina *Celtae*, *Iberi*, & *Celtiberi*, quod praeclare docuit STRABO *Lib.* I. *pag.* 22. in hunc modum: *De priscorum Graecorum sententia hoc dico, quod sicut notae versus septentrionem gentes uno prius nomine omnes Scythae, vel Nomades (ut ab Homero)*

ap-

appellabantur, ac postea temporis cognitis regionibus occiduis, Celtæ, Iberi, aut mixto nomine Celtiberi, ac Celtoscythæ dici cœperunt, cum prius ob ignorationem singulæ gentes uno omnes nomine afficerentur: ita quæ ad Oceanum versus meridiem sita sunt omnia Æthiopiæ appellatione fuisse notata. Verum post longas ambages ad argumentum nostrum accedamus.

12. Galli ex Celtis oriundi, ut PLUTARCHUS docuit in *Camillo*, *pag.* 299. TIMAGENES apud AMMIANUM MARCELLINUM *Lib. XV. cap.* 9. dixit, *Celtas esse Gallorum aborigines*, quod perinde est ac si dixisset nostro loquendi more, Gallorum antiquissimos. Cum Celtarum igitur in Hispaniam adventus credibilior sit mediterraneus, quam maritimus, Celtæ quos M. Varro memorat in Hispaniam advenisse, ex Gallia venerunt, non aliunde: quam opinionem confirmant B. ISIDORUS *Etymolog. Lib. IX. cap.* 2. ita docens: *Celtiberi ex Gallis Celticis fuerunt, quorum ex nomine appellata est regio Celtiberia: nam ex flumine Hispaniæ Ibero, ubi consederant, & ex Gallis qui Celtici* (ego lego *Celtæ*) *dicebantur, mixto utroque vocabulo Celtiberi nuncupati sunt.* Nunc jam intelligimus cur LUCANUS *Lib. IV.* ℣. 10. dixerit:

Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis,

& Martialis Bilbilitanus ad concivem suum LICIANUM *Lib. IV. epigr.* 55.

 Nos

Nos Celtis genitos, & ex Iberis,
Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre versu.

13. Licet autem sciamus, præcipuum Celtarum situm fuisse in Hispania in Celticis, & in Celtiberia; tamen liquido affirmare non possumus quænam istarum regionum oppida illis originem debeant, nisi ad eos referamus Celti oppidum Hispalensis Conventus memoratum a PLINIO *Lib. III. c.* I. & ab ANTONINO in *itinere ab Hispali Emeritam*, & desinentia in *Briga*, ut *Lancobriga*, *Mirobriga*, *Arcobriga*, *Menobriga*, quorum omnium meminit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 5. Celticorum urbes recensens. Cumque longe lateque Celtæ Galli deinde per Hispaniam propagati sint; mirum non est Celtiberiæ nomen latius patuisse, & linguam etiam.

CAP. XVI.

De Pœnorum in Hispaniam adventu, eorumque Coloniis.

1. NUnc ad Poenos conferamus nos, de quibus certiora dicere possumus, quia eorum res gestæ recentiores sunt.

2. Poeni autem Carthaginienses a Phoenicibus nuncupati, qui cum Didone profecti sunt, teste B. ISIDORO *Lib. IX. Etymol. cap.* 2. Horum itaque res aliquo ordine referamus.

2.

3. JUSTINUS *Lib.* XLIV. *cap.* 5. cum vetustissimas Hispaniæ res enarrasset, fabulis, ut fieri solet, in tanta antiquitate permixtis, cumque Heroici temporis Reges recensuisset ita scripsit: *Post regna deinde Hispaniæ primi Carthaginienses imperium provinciæ occupavere. Nam cum Gaditani a Tyro, unde & Cartaginiensibus origo est, Sacra Herculis, per quietem jussi, in Hispaniam transtulissent, urbemque ibi condidissent, invidentibus incrementis novæ urbis finitimis Hispaniæ populis, ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginienses misere. Ibi felici expeditione & Gaditanos ab injuria vindicaverunt, & majorem partem provinciæ* (scilicet Hispaniæ) *imperio suo adjecerunt.* Hæc, ut apparet, contigerunt, statim ac Templum Herculis conditum fuit a Tyriis. Atque hoc fuit initium imperii Carthaginiensium in illa Hispaniæ parte, quod latius postea patuit in Bello Punico primo, cujus tempus optime designavit GELLIUS *Noct. Atticar. Lib.* XVII. *cap.* 21. ubi ita scripsit: *Anno deinde post Romam conditam quadringentesimo ferme nonagesimo, Consulibus Appio Claudio, cui cognomentum Caudex fuit* (cognominis hujus rationem vide apud Senecam de *Brevitate vitæ*, *cap.* 13.) *Appii illius Cæci fratre, & M. Fulvio Flacco bellum adversus Pœnos primum cœptum est.* Unde u. c. annum designasse videtur

PLI-

PLINIUS *Lib. XXXIII. cap. 3.* ita scribens: *Argentum signatum est anno Urbis CCCLXXXV. Q. Fabio Cos. quinque annis ante primum Bellum Punicum.* Quamobrem cum LIVIUS & PLINIUS annos Varronianos sequuti sint, emendandus est numerus apud illum initio *Libri XLI.* & pro CCCCLXXXVIII. reponendum est *quadringenti octuaginta novem anni a condita urbe ad Appium Claudium Consulem, qui primus Bellum Carthaginiensibus intulit.* OROSIUM nostrum in Chronologia parum accuratum, ut transcriptores esse solent, nihil moror; nam & annum, & Consulem erravit *Lib. IV. cap. 7.*

4. In hoc Bello, quod teste POLYBIO *Lib. I. cap. 63.* viginti quatuor annos duravit ad Lutatium Consulem, res ita se habuere, ut JUSTINUS prosequitur *laudato loco*: *Postea quoque hortantibus primæ expeditionis auspiciis, Hamilcarem Imperatorem cum magna manu ad occupandam provinciam* (Hispaniam) *misere: qui magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus, occiditur.* De eodem Hamilcare ante JUSTINUM sic POLYBIUS scripserat *Lib. II. cap. 1. Carthaginienses enim ubi primum res in Africa sunt compositæ, copiis coactis Hamilcarem in Hispaniam miserunt. Hic exercitu accepto, & filio Hannibale, novem tum annorum puero, marique ad Herculis Columnas trajecto, Carthaginiensium imperium in Hispania instaurabat,*

ubi

ubi novem ferme annos moratus, multis populis qua bello, qua oratione dominatui Carthaginis subjectis, ut tantis rebus gestis virum decebat, occumbit. Quippe cum fortissimo prudentissimoque hoste signis collatis dimicans, dum mira quadam audacia in mediam se infert dimicationem, vitam cum morte fortiter commutato imperium deferunt Pœni ad Hasdrubalem affinitate illi junctum, & triremium Præfectum. Hamilcaris res gestas in Hispania refert LIVIUS *Lib. XXIV.* APPIANUS in *Ibericis*, & SILIUS ITALICUS *Punicor. Lib. I.*

5. Narrationis filum continuans JUSTINUS ait: *In hujus* (Hamilcaris) *locum gener ipsius Hasdrubal mittitur* (A. Varroniano U. C. DXXIII.) *qui & ipse a servo Hispani cujusdam, ulciscente domini injustam necem interfectus est.* Idem refert LIVIUS *Lib. XXI. cap.* 2. eum ita laudans: *Is plura consilio, quam vi, gerens, auspiciis regulorum magis, conciliandisque per amicitiam principum novis gentibus, quam bello, aut armis rem Carthaginiensem auxit. Cæterum nihilo ei pax tutior fuit. Barbarus eum quidam palam, ob iram interfecti ab eo domini obtruncavit.* Et paullo post ait: *Eum miræ artis in sollicitandis gentibus, imperioque jungendis suo fuisse.*

6. Sub Hasdrubale Poenorum duce condita fuit Carthago Nova, ut refert POMPONIUS MELA *Lib. II. cap.* 6. sed distinctius

ctius STRABO *Lib. III. pag.* 109. ita scripsit : *Ergo post Abdera sequitur Carthago Nova ab Hasdrubale condita, eo qui Barcæ Hannibalis Patri successit, longe præstantissima omnium ejus regionis urbium: nam & loci natura est munitissima, & muro præclare structo, & ornata est portibus ac lacu, & argenteis, quæ dixi, metallis, & cum ibi, tum in vicinis locis multum confit salsamentorum, estque hoc magnum emporium, ubi & mediterranei maritimas, & maritimi mediterraneas mercantur merces.* Hoc ipsum antea scripserat POLYBIUS *Lib. II. Histor. cap.* 13. *Iisdem temporibus Asdrubal (in eo namque eramus cum a rebus Hispaniæ divertimus) magna prudentia atque sollertia provinciam* (Hispaniam) *administrans cum aliis omnibus ad summam rerum proficiebat : tum urbe condita, quam alii Carthaginem, alii Novam Urbem nuncupant, magnum ad amplificandum Pœnorum imperium, momentum attulerat : nam, ut alia ne dicam, loci oportunitas maxima est, sive in Hispania, sive in Africa res sint gerendæ. Situm ejus urbis, & quanta illius queat esse utilitas ad utramque regionem, alibi commodiore loco declarabimus. Lib.* scilicet *X. cap.* 8. & 10. Portum ejus, ut vult Servius, egregie descripsit VIRGILIUS *Lib. I. Æneid.* ℣. 164. ubi illud notandum est, loquutum esse de aquis dulcibus nostro tempore repertis : quod ego antea sæ-

pe

pe dixeram a Virgilio edoctus, cum ita cecinit:

Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo.

Quamobrem, aut B. ISIDORUS *Lib. XV. c.* 1. aliquid humani passus est; aut librarii pro *Asdrubale* substituerunt *Hannibale*: nam sic legitur: *Afri sub Hannibale maritima Hispaniæ occupantes Carthaginem Spartariam construxerunt, quæ mox a Romanis capta & Colonia facta, nomen etiam provinciæ dedit. Nunc autem a Gothis subversa, atque in desolationem redacta est.*

7. Hinc explicandus est SOLINUS *c.* 26. inquiens: *Carthaginem apud Hiberos, quæ mox Colonia facta est, Pœni condiderunt*; & MARCIANUS CAPELLA *Lib. VI. cap. de Divisione terræ*: *Pœni fundavere Carthaginem, conditas ubicumque urbes amico sibi nomine præsignantes.* Hoc autem optime explicabitur, si Solinum audiamus *cap.* 30. *Hadramyto* (inquit) *& Carthagini* (loquitur de Africana) *auctor est a Tyro populus. Sed quæ supra Carthagine veraces libri prodiderunt, hoc loco reddam. Urbem istam, ut Cato in Oratione Senatoria autumat, cum rex Hiarbas rerum in Libya potiretur, Elissa mulier* (eadem ac Dido) *extruxit, domo* (id est, natione) *Phœnix, & Kartadam dixit: quod Phœnicum ore exprimit Civitatem Novam. Mox sermone* (Phoenicio scilicet) *verso in morem Punicum* (id est, Poenorum recentium proprium) *& hæc Elissa* (addendum est nomen,

men, Dido) & *illa* (quæ antea scilicet *Carthada* dicebatur) *Carthago dicta est*: *quæ post annos septingentos triginta septem exciditur, quam fuerat extructa*. SOLINO consonat SERVIUS Grammaticus ad illud VIRGILII I. *Æneidos*. ℣. 347.

Huic conjux Sichæus erat,

ita inquiens: *Quoties Poeta aspera invenit nomina, vel in metro non stantia, aut mutat ea, aut de his aliquid mutilat: nam Sichæus, Sicharbas dictus est: Belus Didonis pater Methon: Carthago, Carthada, ut lectum est in Historia Pœnorum, & in Livio*. Vulgo etiam dicta fuit *Chædreanech*, ut constat ex Plauti *Pænulo*, *actu V. sc.* 2.

MILPHIO, *Havo, quojates estis? aut quo ex oppido?*

HANNO. *Hanno Muthumballe Bechædreanech.*

AGORASTOCLES. *Quid ait?* MILPHIO. *Hannonem sese ait Carthagine,*

Carthaginiensem Muthumballis filium.

8. Certe inter amica Punicorum nomina recensenda sunt *Carteja*, *Cartima*, *Cartalias*, & etiam *Barcino*, de quibus singulis aliquid dicamus. Incipiamus igitur a *Carteja*. De ea POMPONIUS MELA, ut jam alibi diximus, *Lib. II. cap.* 6. ita scripsit: *Sinus ultra* (Calpen) *est*, *in eoque Carteja* (ut quidam putant) *aliquando Tartessus*, & *quam transvecti ex Africa Phœnices habitant*. *Carteja* igitur secundum aliquorum opinionem

nem fuit olim *Tartessus*; postea vero Libyphoenicum habitatio, qui novum *Carteja* nomen ei videntur imposuisse. *Cartejani* igitur Libyphoenices fuerunt, ut Leptitani, & alii apud PLINIUM *Lib. v. cap.* 4.

9. *CARTIMA* fuit municipium, cujus sub *Cartimitanorum* nomine meminit Inscriptio apud PETRUM APPIANUM, *pag.* 9. MORALEM in *Antiquit. fol.* 20. SMETIUM *p.* 153. *n.* 8. OCCONEM *fol.* 11. *num.* 11. GRUTERUM *pag.* 174. *num.* 8. NONIUM in *Hispania*, *cap.* 25. *Reipublicæ Cartimitanæ* mentio est apud GRUTERUM *pag.* 306. *num.* 2. ubi verbum illud PONTIF. fortasse legi debet *Pontificiensi*, perinde quasi diceret, *Obulconensi*, ut apud eundem GRUTERUM *p.* 458. *n.* 5.; nam Obulco apellatum fuit *Pontificiense* teste PLINIO *Lib. III. cap.* 1. L. Porcii Victoris *Cartimitani* meminit alia Inscriptio apud GRUTERUM, *pag.* 1070. *num.* 10. quæ auctior legitur apud MURATORIUM *Tom. I. Novi Thes. veter. Inscript. pag.* 58. *n.* 7. & eidem Muratorio debemus aliam Inscriptionem ad eundem PORCIUM pertinentem, *tomo II. pag.* 1037. *num.* 7. & aliam, quæ memorat L. Calpurnium Victorem *Cartimitanum tomo I. pag.* 15. *num.* 1. Et vero cum hæ Inscriptiones inventæ fuerint *Cartimæ* (hodie *Cartama*) prope Mundam, & Malacam, sicut etiam alia, quam affert MURATORIUS *Tomo I. pag.* 63. *num.* 3. videtur apud LIVIUM *Lib. XL. cap.* 47. non *Certimam*, sed

sed *Cartimam* legi debere. Verba Livii scribentis res A. Varroniani DLXXV. sunt hæc: *Primum Mundam urbem vi cepit* (Graccus) *nocte ex improviso aggressus. Acceptis deinde obsidibus, præsidioque imposito, castella oppugnare, agros urere, donec ad prævalidam aliam urbem (Certimam appellant Celtiberi) pervenit.* Vide eruditissimum ALDRETE in *Antiquit. Hispaniæ Lib. I. cap. 6. pag.* 39. & *Lib. II. cap. 2. pag.* 192. *Certimæ* tamen mentionem faciunt aliæ duæ Inscriptiones, quas MURATORIUS refert *tomo I. p.* 451. *num.* 1. & 2.

10. *Cartalias* etiam huc referenda est, de qua unica hæc mentio exstat apud STRABONEM *Lib. III. pag.* 110. *In propinquo urbes sunt Cherronesus*, (Peñiscola) *Oleatrum*, (apud Antoninum, *Oleastrum*, hodie amnis *del Ullastre*) *Cartalias, & in ipso Iberi trajectu Dertosa Colonia.* Unde *Cartaliæ* situs apparet. *Oleastrum* autem ita dictum fuit ob olearum abundantiam, de qua alibi egimus.

11. Denique ad amica Pœnorum nomina etiam referenda est *BARCINO*, quæ Punica fuit Colonia; ut didicimus ex Ausonii epist. XXIV. ad Paullinum, in Hispania eo tempore morantem, ideoque AUSONIUS sic ait ℣. 68.

Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino.

Ita fortasse dicta ab Amilcare cognomento *Barca*; cujus factio dicta fuit *Barcina*, &

no-

notissima fuit apud Cartaginienses. Fuit Colonia, cognomento *Faventia*, teste PLINIO *Lib. III. cap. 3.* cui adde GRUTERUM *pag.* 429. *num. 3.* adjunctis *Corrigendis*, & FABRETTO in *Emendationibus Gruterianis*, *pag.* III.

12. Redeo ad JUSTINUM. *Major utroque* (Hamilcare scilicet, & Hasdrubale) *Hannibal Imperator Hamilcaris filius succedit* (u. c. A. Varroniano DXXXIII.) *siquidem utriusque res gestas supergressus universam Hispaniam domuit.* Enimvero JUSTINUS nimis exaggerat Hannibalis imperium: negare tamen non debemus magnam Hispaniæ partem domuisse. *Inde Romanis bello illato, Italiam per annos sexdecim variis cladibus fatigavit: cum interea Romani missis in Hispaniam Scipionibus* (A. u. c. DXXXVI. Coss. P. Cornelio Scipione, & Tib. Sempronio Longo, ut ait VELLEJUS PATERCULUS *Lib. II. c.* 90., *primo Pœnos provincia expulerunt: postea cum ipsis Hispanis gravia bella gesserunt. Nec prius perdomita provincia, jugum Hispani accipere potuerunt, quam Cæsar Augustus, perdomito orbe, victricia ad eos arma transtulit, populumque barbarum ac ferocem, legibus ad cultiorem vitæ usum traductum, in formam provinciæ redegit.* De P. Scipione ita LIVIUS *Lib. XXVIII. cap.* 16. ad A. u. c. DXLVIII. *Hoc maxime modo, ductu, atque auspicio P. Scipionis pulsi Hispania Carthaginienses sunt, duodecimo*

anno post bellum initum, quinto postquam P. Scipio provinciam, & exercitum accepit. Adde APPIANUM in *Libycis*, EUTROPIUM *Lib. III. cap.* 15. FLORUM *Lib. II. cap.* 6. & OROSIUM *Lib. VII. cap.* 2. atque ita SILIUS ITALICUS Punicor. *Lib. XVI.* ℣. 658. jure potuit canere:

Scipio restituit terras illæsus Hiberas
Trojugenis: pepulit Pœnos, solisque sequutus
Extremas ad Athlanta vias, exegit ab orbe
Hesperio nomen Libyæ.

13. Vigente itaque in Hispania Carthaginiensium imperio, imo & multo ante ob vicinitatem factum est, ut multæ Coloniæ a Poenis in Hispaniam ducerentur, præsertim in Bæticæ partem maritimam, de qua ita PLINIUS *Lib. III. cap.* 1. *Oram eam universam originis Pœnorum existimavit M. Agrippa.* Hoc confirmat AVIENUS in *Ora maritima* ℣. 375.

Ultra has Columnas propter Europæ latus
Vicos, & Urbeis incolæ Carthaginis
Tenuere quondam: mos at ollis hic erat,
Ut planiore texerent fundo rates,
Quo cymba tergum fusior, brevius Mare
Prælaberetur.

Ideoque antea dixerat SCYLAX CARYANDENSIS initio Peripli: *Ultra Herculis Columnas quæ sunt in Europa, multa sunt Carthagi-*

giniensium emporia, & coenum, & aestus, & pelagi.

14. Sed Columnarum Hercularum mentio in mentem mihi revocavit quod scripsit STEPHANUS BYZANTINUS in hunc modum: *Accabicus murus oppidum circa Herculeas Columnas, quod Carthaginienses condiderunt, uti in vocabulo Salmyce dicturi sumus. Oppidanus inde dicitur Accabicotichites, uti Gordiotichites, & Cholotichites quemadmodum in littera X. inveniemus.*

CAPUT XVII.

De Graecorum adventu in Hispaniam, & eorum Coloniis.

1. QUOD attinet ad Graecorum in Hispanias adventum, & Coloniarum deductiones; ante omnia fabulae rejiciendae sunt.

2. Sunt qui credant, & suadere velint, Nebrissam (hodie *Lebrija*, ubi natus fuit Grammaticorum Hispanorum Princeps ÆLIUS ANTONIUS NEBRISSENSIS) conditam fuisse a Baccho Graeco, sive filio Semeles. Cui figmento occasionem dedit nomen *Nebrissa*; quod deductum videtur a *Nebride*, quae Graecis est *pellis hinnuli*, non damae, uti credidit PLACITUS LUCTATIUS STATII PAPINII interpres. Qui Nebrissae memoratum etymon tribuunt, ducem habuisse videntur Silium Italicum *Lib.*

III. Punicor. ℣. 393. ubi dixit:

Ac Nebrissa Dionysæis conscia thyrsis
Quam Satyri coluere, leves, redimitaque sacra
Nebride, & arcano Mænas nocturna Lyæo.

Sed eruditi optime sciunt Silium Italicum scripsisse ut Poetam, cum æque falsum sit, Bacchum fuisse conditorem Nebrissæ, ac ducem Nysarum, quas Hesychius enumeravit. Aliud est, eas urbes ita appellatas fuisse in Bacchi memoriam cultumque, qui, ut refert CICERO *Lib. III. de Nat. Deor. cap.* 23. *Nyssam dicitur interemisse*: de quo EUSEBIUS ad annum 686. natalis Abrahæ, ita scripsit: *Dionysius, qui & Liber Pater, adversus Indos dimicans juxta Indum fluvium Nysam urbem condidit*. Qua etiam ratione decem montes Nyssæ vocantur, eodem HESYCHIO teste: & aliud est Dionysium conditorem fuisse tot urbium. Et quod attinet ad nostram *Nebrissam*, longius hoc a vero abest. Nam incredibile est, ita fuisse nominatam ob pelles, quibus induebantur Satyri in sacris operandis, ut docuit PLACIDUS LUCTATIUS, aut Mænades, ut ait SILIUS ITALICUS. Sed quid verbis opus est? Hæc origo nititur falsa illa opinione adventus Bacchi in Hispaniam. Cum autem STRABO *Lib. XV. pag.* 472. ejus res gestas enarraret, dixit: *At enim Herculis, & Bacchi res gestas Megasthenes cum paucis quibusdam credit, aliorum magna pars, e quibus est Eratosthenes, fabulosa, & minime credenda ar-*

arbitrantur. Ad Herculem quod attinet, ut hoc obiter dicam, idem STRABO *Lib. I. pag.* 2. dubitanter scripsit Homerum inaudiisse de Hispanica navigatione quò Hercules expeditionem fecit: *Lib. III. pag.* 117. dixit Pindarum memorasse Portas Gadiridas, dicentem ultimo ad eas pervenisse Herculem: verum paullo antea dixerat, fabulam factam esse de armentis Geryonis: adde ea quæ scripsit *Lib. IV. pag.* 159. Denique hæc opinio Poetarum potius est, quam Historicorum. Inter paucos qui Bacchum in Hispaniam venisse referunt, numerari debent M. VARRO apud PLINIUM *Lib. III. cap.* 3. qui tamen hoc non approbavit, SILIUS ITALICUS *Lib. III. Punicor.* ℣. 101. ita canens:

Tempore quo Bacchus populos domitabat Hiberos
Concutiens thyrso, atque armata Mœnade Calpen,

Et PLUTARCHUS de *Fluminibus*, *cap. de Nilo*. Verum adversus MEGASTHENEM scriptorem fabulosum, VARRONEM referentem alienam opinionem, non asserentem, & SILIUM ITALICUM Poetice fingentem, & PLUTARCHUM more suo fabellas narrantem in libello *de Fluminibus*, stat ERATOSTENES, quem sequuntur alii a STRABONE laudati, quibus addi debet MARCIANUS CAPELLA *Lib. VI. cap. de Divisione terræ*: & maxime notandum est, NONNUM Panopolitan in *Poemate*, ubi de DIONYSIIS agit, nullam fecisse mentionem

adventus Bacchi in Hispaniam. Crediderim huic fictioni occasionem dedisse, DIONYSIUM, aut Bacchum Indicum (si forte Bacchus unquam ad Indos penetravit, quod dubitavit ARRIANUS *Lib. IV. & V. de Rebus Alexandri*) posteaquam finem imposuit suis expeditionibus; erexisse duas Columnas, uti referunt DIONYSIUS AFER, & AVIENUS: & plurimi eas confuderunt cum Herculeis. DIONYSIUS AFER interprete RHEMNIO FANNIO, ℣. 1067. ita scripsit:

Hic via quæ nomen celebrat Nyssæa Lyæi,
Cui Stelas dederat victoria finibus illis.

AVIENUS autem in *Descriptione Orbis Terræ*, ℣. 1390. sic ait:

Oceani Eöi prætento denique Bacchus
Littora, & extrema Terrarum victor in ora,
Ducit laurigeros post Indica bella triumphos,
Erigit & geminas Telluris fine Columnas,
Invisitque dehinc Ismeni fluminis undam.

Concordat ANTHIPATER SIDONIUS *Anth. Lib. IV. c. 12.* STRABO *Lib. III. pag. 118.* ait fuisse Aras. Sed hæc omnia inter fabulas numeranda sunt. Nam, ut ait PLINIUS *Lib. VI. cap. 17. colliguntur a Libero patre ad Alexandrum Magnum reges eorum* (scilicet Indorum) *CLIV. annis quinque mill. CCCCII. adjiciunt & menses tres.* Itaque cum Liber vixisse dicatur annis quinque mille quadrin-
gen-

gentis & duobus antequam Alexander Magnus regnare inciperet post centum & quinquaginta quatuor Reges; idem est ac si diceretur, Bacchum fuisse Regem triginta quatuor annis super duobus millibus antequam Deus optimus maximus universum ex nihilo crearet. Vero enim vero, si DIONYSIUS, BACCHUS, aut Liber Pater, idem est, ac Sol, ut docuit MACROBIUS *I. Saturnal. cap.* 18. hoc sensu credere debemus, Hispaniam invisisse ex quo ipse creatus fuit. Verisimile igitur est quod BOCHARTUS docuit *Lib. I. Canaanis cap. 34. Nebrissam* dictam a *Næ-pritsa*, quasi dicas *ad aquarum eruptionem*, nam in eam erumpunt, utpote sita est in æstuario.

3. Sed quoniam falsum esse docuimus quod ajunt de *Nebrissa* condita, obiter addamus, esse falsum numisma Imperatoris Claudii, quod Pyrrhus Ligorius habuisse dicitur, ubi ajunt ita legi, *Colonia Venerea Nabrissa Augusta*. JOHANNES HARDUINUS ad PLINII *cap. 3. Lib. III.* indicavit hunc nummum esse falsum, sed rationem addere debuerat, & falsitatem indicare in *Nummis antiquis*, quod plane prætermisit. Falsitatis ratio hæc est. PLINIUS loco memorato sic ait: *at inter æstuaria Bætis oppidum Nebrissa, cognomento Veneria.* Hic notandum est, PLINIUM *Nebrissam* vocavisse *oppidum*, non vero *Coloniam*. Et manifestum est non fuisse Coloniam: nam in Bætica solum fuere o-

cto, ut idem PLINIUS docuit *eod. Lib. III. cap.* I. non vero novem, ut HARDUINUS legere voluit. Sunt autem hæc, Colonia Asta Regia; Colonia Astigitana, sive Augusta Firma; Colonia Artubi, sive Claritas Julia; Colonia Corduba Patricia; Colonia Hispalis Romulensis; Colonia Immunis, Ituci, sive Virtus Julia; Colonia Immunis Tucci, sive Augusta Gemella; Colonia Immunis Urso, sive Gemina Urbanorum. Numisma illud confictum fuit secundum vitiatum Ptolemæi codicem, qui *Lib. II. cap.* 4. vocavit eam *Nabrissa*. Hæc in eodem nummo dicitur *Venerea*, uti vulgo loqui solent, cum PLINIUS scripserit *Veneria*, quemadmodum probæ Latinitatis auctores loquuti sunt, & præcipue CICERO. *Lib. v. in Verrem, cap.* 54. *Iste autem homo Venerius, & affluens omni lepore, & venustate, de bonis illius in æde Veneris argenteum Cupidinem posuit.* Denique hic nummus Imperatori Claudio tribuitur; cum certum sit in Hispaniæ Coloniis desiisse cudi monetas post mortem Caligulæ, ut admonuit, post alios, eruditissimus EMMANUEL MARTINUS *Epistolar. Lib. III. Epist.* II. *Nebrissa* vero cognominata fuit *Veneria* assentatoria allusione ad C. Cæsarem, qui cum esset Quæstor, Juliam amitam laudans e more pro rostris, in illius laudatione de ejus, ac patris sui utraque origine (teste Suetonio *in Julio, cap.* 6.) sic retulit: *Amitæ meæ Juliæ maternum genus ab*

Re-

Regibus ortum, paternum cum Dis immortalibus conjunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater: a Venere Julii, cujus gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent: & cærimonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt Reges. Hoc postremum in homine ambitiosissimo non est mirandum; bene vero in Manilio assentatore, ita canente:

Venerisque ab origine proles
Julia descendit cœlo, cœlumque replevit.

4. A falso *Nebrissæ* conditore ad æque falsum *Carthaginis Spartariæ* veniamus.

5. Silius Italicus primus omnium finxisse videtur, Teucrum fuisse Carthaginis Novæ conditorem. Nam *Lib. III. Punicor.* ℣. 368. *dixit*:

Dat Carthago viros Teucro fundata vetusto.

Et *Lib. XV.* ℣. 192.

Urbs colitur Teucro quondam fundata vetusto Carthago.

Verum certissimum est Carthaginem Novam conditam fuisse ab Hasdrubale, uti memoravit POLYBIUS *Lib. II. cap.* 13. STRABO *Lib. III. pag.* 109. & PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. & nemo refert habuisse antea alium conditorem. Asclepiades Myrleanus, Grammaticus, Apolonii discipulus qui, ut ait Suidas, vixit Attali, & Eumenis Pergamenorum Regum tempore, docuitque etiam Romæ tempo-

pore Pompeii Magni, & in Turdetania etiam, ut ait STRABO antea laudatus, cum scriberet post annos 940. ab excidio Trojæ, occasionem dedit ut male intellectus crederetur auctor adventus Teucri in Hispaniam, & hoc supposito, Teucriæ conditio superaddita fuit. Hic scriptor, cum Myrleæ natus fuisset, ut dixit STEPHANUS BIZANTINUS in *Myrlea*, quæ postea *Apamia* dicta fuit, eodem Stephano docente, & etiam SUIDA in *Asclepiade*, cum esset homo Græcus, suæ nationis scriptores imitans, finxit, plurima oppida Hispaniæ condita fuisse a Græcis ex vocum similitudine figmenta sua componens. STRABO autem *Lib. III. pag.* 108. ita scripsit: *Supra hæc loca in montanis monstratur Ulissa, & in ea fanum Minervæ: ut Posidonius tradit, & Artemidorus, & Asclepiades Myrleanus, qui in Turditania Grammaticam docuit, & descriptionem gentium in istis regionibus agentium edidit. Is tradit, monimenta errorum Ulissis in templo illo Minervæ affixa esse, aspides & summa navium rostra. Apud Callaicos autem consedisse quosdam, qui Teucrum in bellum fuerant secuti: ibique fuisse urbes, quarum una Hellenes diceretur, id est, Græci, altera Amphilochi: mortuo scilicet ibi Amphilocho, & sociis usque ad mediterranea vagatis. Quin & is ait se comperisse, quosdam Herculis sociorum, & a Messena, inhabitasse Hispaniam: partem Cantabriæ a Lacconibus occupatam fuisse*

ut

ut is, & alii perhibent : ibique Obsicellam urbem conditam ab Obsicella, qui cum Antenore ejusque liberis in Italiam trajecit. Similes his confinxit Asclepiades alias fabulas. Sed nullo modo constat eum dixisse aliquid de *Teucria* condita: imo neque de Teucri in Hispaniam adventu. Sed solummodo, quosdam qui Teucrum in bellum fuerant secuti, consedisse apud Callæcos, & condidisse Hellenem, & Amphilochium, ubi Amphilochus mortuus fuerat, ejusdemque socios peregrinationem prosequentes usque mediterranea vagatos fuisse.

6. *Helenorum* mentionem fecit PLINIUS *Lib. IV. cap.* 20. his verbis. *A Cilenis, Conventus Bracarum, Heleni, Gravii, Castellum Tyde, Græcorum sobolis omnia.* Quod attinet ad Gravios, & Tyden præivit SILIUS ITALICUS *Lib. III. Punicor.* ℣. 366.

Et quos nunc Gravios violato nomine Grajum
Oeneæ misere domus, Ætolaque Tyde.

Ubi Tyden appellavit Ætolam, quia Diomedes Ætoliæ Rex dicitur eam condidisse in memoriam patris sui Tydei, cum scilicet vagaretur ob Veneris iram, ut indicavit idem SILIUS ITALICUS *Lib. XVI.* ℣. 369.

Ipsum Ætola, vago Diomedi condita, Tyde
Miserat.

Qui Silius hoc didicerat a DIONYSIO PERIEGETE, ℣. 483. cujus sententiam sic expressit Festus AVIENUS in *Descriptione Orbis Terræ versu* 647.

Rur-

Rursus in Hadriacum lembum cogentibus undam,
Et lævum curva Pelagus sulcantibus alvo,
Insula se Graii Diomedis gurgite promit,
Italiam spectans, & Iapygis arva Coloni.
Huc illum motæ quondam tulit ita Diones,
Postquam per celeres extorrem traxit Iberos,
Conjugis huc diræ misit furor Ægialiæ.

Atque hæc sunt figmenta otiosorum Poëtarum.

7. *Amphilochorum* mentionem solum legimus apud STRABONEM *loco laudato.* Ex eo quod scripserat Asclepiades, Callæci ansam arripuerunt ad affirmandum Teucri in Hispaniam adventum, confundentes eum cum adventu sociorum ejus, quem Asclepiades excogitavit vulgavitque; addideruntque, eundem fuisse, qui cum in Callæcia consedisset, Amphilochis nomen dedit. Constat hoc ex JUSTINO, TROGI POMPEII epitomatore, qui *Lib.* XLIV. *cap.* 3. ita scripsit: *Gallæci autem Græcam sibi originem asserunt. Siquidem post finem Trojani belli, Teucrum morte Ajacis fratris invisum Patri Telamoni, cum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, atque ibi urbem nomine antiquæ patriæ Salamina condidisse. Inde accepta opinione paternæ mortis, patriam repetisse. Sed cum ab Eurysace Ajacis filio accessu prohiberetur, Hispaniæ littoribus appulsum, loca, ubi nunc est Carthago Nova, occupasse. Inde Gallæ-*
ciam

ciam transisse, & positis sedibus, genti nomen dedisse. Gallecia autem portio Amphilochi dicuntur. Adde B. Isidorum *Lib. IX. Etymol. cap.* de Callæcis loquentem. Hæc Justini narratio addit Teucri in Hispaniam adventum, ejus appulsum in locum ubi nunc est Carthago Nova, transitumque inde in Callæciam, designatque Amphilochorum originem. Cui narrationi superaddidit SILIUS ITALICUS, conditum fuisse oppidum ubi nunc est Carthago Nova: & recentiores scriptores ut JOHANNES de RIHUERGA laudatus a LAURENTIO PADILLA in *Antiquitatibus Hispaniæ fol.* 24. adjunxerunt, vocatam fuisse *Teucram*, vel, ut ait JOHANNES MARIANA *Lib. I. cap.* 12. *Teucriam*, cui adde ESCOLANUM *Lib. IX. Hist. Regni Valentiæ cap.* 30. *num.* 2. *col.* 1234. Sed hic Teucri in Hispaniam adventus nullo modo consonat cum iis quæ de eo dixerunt antiquissimi Græciæ Poetæ & Historici.

8. Ad hoc confirmandum, meminisse debemus, Telamonem Salaminis Regem, ex prima uxore Periboca, filia, & herede Alcathoi Regis Megarensis, suscepisse Ajacem & ex secunda uxore Hesione Laomedontis filia, & sorore Priami, Trojæ Regem, Teucrum: & hos duos Telamonis filios duodecim naves instruxisse adversus Trojam, auxilium ferentes Agamemnoni, & Menelao Mycenarum Regibus, quemadmodum cecinit Homerus in Illiade. Achille mortuo ejus arma pe-

petiere Ajax, & Ulisses; & cum Ulissi concessa fuissent, ita ira percitus fuit Ajax, ut insanierit, & suspenderit verberaveritque sues, putans eos esse Ulissem competitorem suum, & Agamemnonem Judicem. Postea vero recipiscens ita indoluit, erubuitque, ut se ipsum occiderit. Contigit postea Trojæ excidium anno Periodi Julianæ 3531. reversusque Teucer Salamina patriam suam, non fuit receptus a patre Telamone ob segnitiem non vindicatæ fratris injuriæ, ut narrat PATERCULUS *Lib.* I. *cap.* I. vel ob alias caussas, quas refert SERVIUS *ad* I. *Æneidos* ℣. 623. Tunc Teucer Cyprum navigavit, ubi in patriæ suæ memoriam novam Salamina condidit, quæ hodie dicitur *Fama Augusta.* Hujus conditionis mentionem fecerunt ISOCRATES in *Euagora*, HORAT. *Lib.* I. *ode* 7. PATERCULUS *Lib.* I. *cap.* I. STRABO *Lib.* XIV. *pag.* 469. aliique: & nemo eorum memoravit Teucri in Hispaniam adventum, & nec Euripides quidem in *Helena*, ubi introduxit Teucrum loquentem cum illa Regina, tot Asiæ malorum irritamento; & si vera fuisset illa in Hispaniam peregrinatio, eam non siluisset, ut non siluit ejus peregrinationem in Nili ostia. Monarchiam suam Teucer in Cypro stabilivit, ubi ejus posteri regnarunt, quorum series continuata fuit per unde viginti Reges usque ad Euagoram, qui postremus fuit, ut ait PAUSANIAS *in Corinthiacis cap.* 71. Et hoc constat ex *Oratione*, quam ISOCRATES scripsit

psit *pro Euagora*, pro qua a Nicocle Cypri Rege, qui ipse erat Euagoræ filius, viginti talenta accepit, ut refert PHOTIUS *in Biblioth. cod.* 260. Adde PELLICERIUM in *Apparatu ad Monarchiam antiquam Hispaniarum*, *pag.* 173.

9. EX STRABONE supra didicimus, *Ulisseam* numeratam fuisse inter monimenta errorum Ulissis, quod idem antea docuerat *pag.* 103. Solinus etiam *cap.* 26. ab eodem putavit conditum fuisse Olisiponem, suffragante B. ISIDORO *Etymol. Lib.* XV. *cap.* I. & Grammaticus Myrleanus, Obsicellam ab Obsicella, qui cum Antenore, ejusque liberis in Italiam trajecit; sed quid hoc aliud est quam oppidorum nomina notare, & conditorem similis soni eis accommodare? nam primus Græcorum quem Historia docet in Hispaniam venisse, fuit Sostratus Laodamantis filius Æginetà, qui quæstum maximum Tartessi fecit, deinde Colæus Samius anno ante æram Christianam 641. secundum JACOBI USSERII rationes: nam HERODOTUS *Lib.* IV. *cap.* 152. sic enarrat: *Appulsa eo* (in Theram insulam) *navi Samia quæ ab Ægypto redibat* (*cujus gubernator erat Colæus*) *Samii, omni re gesta a Corobio audita, in annum homini cibaria reliquerunt. Ipsi ex hac insula cum solvissent, Ægyptum optantes, vento subsolano abrepti ferebantur: nec intermittente flatu, Herculeas transvecti Columnas, pervenerunt in Tartessum, pompam ferentes ad rem divi-*

nam.

nam. Erat ea tempestate id emporium intemeratum, adeo ut inde revertentes isti ex mercibus quæstum maximum fecerint, inter omnes quos novimus Græcos, duntaxat post Sostratum Laodamantis filium Ægineiam, cum quo nemo possit contendere. Ex hoc quæstu Samii decima (id est, sex talentis) selecta, fecerunt ahenum ad exemplum crateris. Argolici, gryphinis captibus in circuitu altrinsecus obversis: & in templo Junonis collocarunt, sustinentibus illud tribus colossis, (id est humanis simulacris;) septenum cubitorum genu nixis.

10. Menesthei etiam adventus in Hispaniam a nebulonibus confictus est: neque eum ullo modo probat Menesthei Portus memoratus a STRABONE *Lib. III. pag.* 96. & a PTOLEMÆO *Lib. II. cap.* 4. ab Antonino dictus *Portus Gaditanus in itinere a Gadibus Corduba*, hodie *Puerto de Santa Maria*. Illud enim nomen accepit a cultu ibi a Græcis exhibito Menestheo, cujus venerationem procul dubio auxit inter homines credulos, & superstitiosos ejusdem Menesthei Oraculum, de quo idem STRABO laudato loco. Miror fabulatores non addidisse Themistoclem etiam in Hispaniam venisse, permotos auctoritate Philostrati, qui *Lib. V. de Vita Apollonii Tyanei, cap.* I. ita scripsit: *Præterea qui Gades incolunt, Græci esse perhibentur, nostroque more eruditi: maxime Athenienses præter cæteros Græcos ve-*

nerantur. Idcirco Menestheo Atheniensi sacrificare. Themistoclem quoque tanquam maritimum bellatorem egregium sapientiæ fortitudinisque gratia venerantes æneum statuerunt, eique tanquam oraculo reverenter assistunt. Porro nomen Portus Menesthei nos admonet, Græcos sæpe locis imposuisse nomina suorum priscorum Heroum, ut nos Sanctorum.

II. Inter Græcorum Colonias præcipuæ numerari debet *Saguntum* a Zacynthiis conditum (hodie *Murviedro*) ut referunt T. LIVIUS *Lib. XXI. cap.* 7. & STRABO *Lib. III. pag.* 110. SILIUS ITALICUS *Lib. I.* ℣. 273. ubi ita cecinit:

Haud procul Herculei tollunt se litore muri,
Clementer crescente jugo, quîs nobile nomen
Conditus excelso sacravit colle Zacynthos.

& ℣. 288.

Mox profugi ducente Noto advertêre coloni,
Insula quos genuit Grajo circumflua gente,
Atque auxit quondam Laertia Regna Zacynthos.

Et *Lib. III.* ℣. 177.

Scilicet, id satis est decoris, memorandaque virtus,
Quod tanto cecidit molimine Graja Saguntos?

Adde APPIANUM *de Bello Hispaniensi* & B.

ISIDORUM *Etymol. Lib. XV. cap.* I. STEPHANUS BYZANTINUS, qui diversis libris utebatur, nunc vocat illud *Zacantha*, nunc *Zacynthon*, quod vocabulum lingua Phoenicia, quæ Hebraicæ dialectus est, significat *rem altam*, aut montanam, fortasse allusione quadam ad Sagunti situm. De ejus antiquitate ita PILNIUS *Lib. XVI. cap.* 40. *In Hispania Sagunti ajunt templum Dianæ a Zacyntho advectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Troyæ, ut auctor est Bocchus, infraque oppidum ipsum id haberi. Cui pepercit religione inductus Hannibal juniperi trabibus etiam nunc durantibus.* Nolo inquirere, an juniperi trabes Saguntini templi Dianæ tandiu durare possent, ut permanerent a ducentesimo anno ante Trojæ excidium, quod accidit anno ante Christum natum 1184. usque ad Christi annum 77. quo Plinius suam edidit Historiam, quod idem est ac si diceres per annos 1261. Sed maxime notandum est, Sagunti conditores in Hispaniam adduxisse Dianæ simulacrum secundum BOCCHI narrationem. STRABO autem *Lib. III. pag.* 124. docet Massilienses in Hispaniam introduxisse Dianæ Ephesiæ cultum, & antiquum modum ei sacrificandi. *Posterioribus tamen temporibus* (inquit) *quosdam circumjacentium camporum in suam potestatem redegerunt, qua eadem subnixi, urbes quoque condiderunt, quibus munitionibus uterentur ut ad Hispaniam contra Hispanos, quibus etiam*

iam ritus Dianæ Ephesiæ avitos tradiderunt , eosque sacrificare Græco more docuerunt. Hunc igitur cultum Saguntini acceperunt a Massiliensibus , hi a Phocæensibus , Phocæenses a Phocensibus , & Atheniensibus , ut eruditi sciunt. Quamobrem si Dianæ templum Saguntinum eandem antiquitatem , ac Saguntum habebat ; si Dianæ cultus invectus fuit in Hispaniam a Massiliensibus , sive quod idem est , si invectus fuit post Massiliam conditam , non eam habuit antiquitatem quam BOCCHUS persuadere voluit. Sed ut propius ad veritatem accedamus, videamus quo tempore Massilia condita fuit.

12. Certum est , Massiliam , urbem Ligusticam , juxta Celticam , Coloniam Phocæensium esse , auctore HECATÆO apud STEPHANUM *v. Massalia.* Idque confirmant ISOCRATES in *Archidamo*, *pag.* 132. SCYMNUS CHIUS ℣. 208. 209. T. LIVIUS *Lib. XXXIV. cap.* 3. POMPONIUS MELA *Lib. II. cap.* 5. STRABO *Lib. IV. pag.* 124. AMMIANUS MARCELLINUS *Lib. XV. pag.* 55. Phocæenses dico , natos scilicet in urbe Jonia Phocæa , quos HORATIUS *epist.* 16. vocavit *Phocæos* : non Phocenses e Phocide , Græciæ regione , cujus metropolis fuit Delphos. Erraruunt igitur qui confundentes Phocenses cum Phocæis , scripserunt , Phocenses condidisse Massiliam , ut Aristoteles laudatus ab ATHENÆO *Lib. XIII. Deipnosoph.* JUSTINUS *Lib. XLIII. cap.* 3. HIGINUS etiam apud GEL-

LIUM *Lib.* X. *Noct. Atticar. cap.* 16. ait, ex terra Phocide fugatos Massiliam condidisse. In eundem incidit errorem SENECA *c.* 8. *de Consol. ad Helviam*, & LUCANUS de *Bello Civili Lib.* III. ℣. 301. ubi de Massilia loquens ita cecinit:

Phocais in dubiis ausa est servare juventus
Non Graja levitate fidem, signataque jura,
Et caussas, non fata, sequi.

Et SILIUS ITALICUS *Lib.* IV. *Punicor.* ℣. 52.

Scipio Phocaicis sese referebat ab oris.

Et *Lib.* XV. posteaquam generaliter dixerat ℣. 168.

.... occurrunt mœnia Grajis
condita, Massiliæ.

atque ℣. 171. sese magis declaravit, ajens,

Antiquæ morem patriæ cultumque habitumque
Phocais armiferas inter tenet hospita gentes.

13. Reliquum est scire quomodo eam Phocæi condiderunt. JUSTINUS *Lib.* XLIII. *cap.* 3. ita scripsit: *Temporibus Tarquinii Regis, ex Asia Phocensium juventus, ostio Tiberis invecta, amicitiam cum Romanis junxit: inde in ultimos Galliæ sinus navibus profecta, Massiliam inter Ligures, & feras gentes Gallorum condidit: magnasque res, sive dum armis se adversus Gallicam feritatem tuentur, sive dum ultro lacessunt, a quibus fuerant antea lacessiti, gesserunt.*

Nam-

Namque Phocenses exiguitate, ac macie terræ coacti, studiosius mare quam terras exercuere: piscando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriæ habebatur, vitam tolerabant. Itaque in ultimam Oceani oram procedere ausi, in sinum Gallicum ostio Rhodani amnis devenere. Cujus loci amœnitate capti, reversi domum referentes quæ viderant, plures sollicitavere. Duces classis Simos, & Protis (a quo proculdubio nomen accepit *Prote* insula una ex Stoechadibus, de qua PLINIUS *Lib. III. cap.* 5. in fine). *Itaque Regem Segobrigiorum, Nannum nomine, in cujus finibus urbem condere gestiebant, amicitiam petentes conveniunt. Forte eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiæ erat: quam more gentis, electo inter epulas genero, nuptum tradere illic parabat. Itaque cum ad nuptias invitati omnes processissent, rogantur etiam Græci hospites ad convivium; introducta deinde virgo, cum juberetur a Patre aquam porrigere ei quem virum eligeret, tunc omissis omnibus ad Græcos conversa, aquam Proti porrigit: qui factus ex hospite gener, locum condendæ urbis a socero accepit. Condita igitur Massilia est prope ostia Rhodani amnis, in remoto sinu, veluti in angulo maris. Sed Ligures incrementis urbis invidentes, Græcos assiduis bellis fatigabant. Qui pericula propulsando in tantum enituerunt, ut victis hostibus, in captivis*

agris multas Colonias constituerent.

14. Quamobrem cum temporibus Tarquinii condita fuerit Massilia, & Tarquinius regnare cœperit A. CXLII. u. c. & obierit A. CLXXX. intermedio illo tempore condita fuit. SCYMNUS CHIUS sequens Timæum ℣. 208. ait, Massiliam conditam fuisse centum & viginti annos ante pugnam Salaminiam. Hæc pugna commissa fuit Olymp. LXXV. anno I. ut ait ANONYMUS Olympiadum scriptor, & EUSEBIUS Pamphili in Chronico, hoc est, A. Varroniano ab u. c. CCLXXVII. Si retrocedamus igitur centum & viginti annos, condita fuit Massilia Olympiade XLV. anno I. qui fuit u. c. CLVIII. SOLINUS *cap.* 8. hanc confirmavit opinionem ita scribens: *Phocenses quondam fugati Persarum adventu, Massiliam urbem Olympiade XLV. condiderunt.* Omitto Agathiæ opinionem nimis ab hoc recedentem; quippe ait Massiliam conditam fuisse tempore Darii filii Histaspes, qui regnare cœpit A. u. c. CCXXXIV. regnavitque XXXVI. annos.

15. Scopum attingemus, si omnes circunstantias animadvertamus, colligamusque. ISOCRATES in *Archidamo* ait: *Phocenses magni Regis* (Persarum scilicet) *dominationem fugientes, relicta Asia Massiliam se contulerunt.* HORATIUS *Epodon* 16. indicavit Phocæos profugisse relinquentes patriam suam Phocæam.

Phocæorum

Ve-

Velut profugit execrata civitas,
Agros, atque Lares proprios, habitandaque fana
Apris reliquit, & rapacibus lupis.

SOLINUS *loco supra laudato* declaravit quinam fuerint inimici Phocæorum, quos ille vocavit *Phocenses*. Clariora indicia dedit HIGINUS laudatus ab A. Gellio *Noct. Atticar. Lib. x. cap.* 16. *Ab Harpalo* (inquit) *Regis Cyri Præfecti ex terra Phocide fugati Massiliam condiderunt*. Habemus igitur Harpagum Medum, quem Higinus, & Justinus vocaverunt Harpalum ducem exercitus Cyri Regis Persarum, fuisse eum, qui fugavit Phocæos, quod distincte docuit AMMIANUS MARCELLINUS *Lib. XV. cap.* 8. ita scribens: *A Phocæa vero Asiaticus populus Harpali inclementiam vitans Cyri Regis Præfecti, Italiam navigio petiit. Cujus pars in Lucania Veliam, alia condidit in Viennensi Massiliam*. Massilia igitur condita fuit post Phocæorum fugam, quæ Cyri tempore contigit, duce Harpago. Julius Africanus apud EUSEBIUM CÆSARIENSEM, *Præp. Evangel. Lib. x. cap.* 10. observavit, omnes antiquos Historicos, veluti DIODORUM SICULUM, THALLUM, CASTOREM, POLYBIUM, & PHLEGONTEM, & alios præterea qui Olympiadum seriem texuerunt, convenisse in definiendo initio Imperii Cyri, qui regnare coepit Olympiade LV. quæ referenda est ad annum CXCVII. U. C.: quadraginta natus annos

 re-

regnare cœpit, triginta regnavit, & ad septuagesimum pervenit, ut ex DIONIS *Persicis* docuit CICERO *Lib. I. de Divin. c.* 23. & hoc ipsum Regni tempus designaverunt JUSTINUS TROGI POMPEII abbreviator *Lib. I. cap.* 8. EUSEBIUS CÆSARIENSIS in Chronico, & B. HIERONYMUS in *cap.* 7. *Danielis*. Licet autem SEVERUS SULPICIUS *Lib. II. Sacræ Historiæ* scripserit: *Cyrum uno & triginta annis rerum potitum esse*; dici potest annos fuisse incœptos, atque ita a laudatis auctoribus non dissentiet. Hæc cum ita se habuerint, recte dixit THEOPHILUS ANTIOCHENUS Cyrum decessisse *olympiade* LXII. verum designare debuit memoratæ olympiadis annum secundum, qui fuit idem ac CCXXVI. ab u. c. HERODOTUS *Lib. I. cap.* 162. ait *Harpagum successisse Mazaræ.* Harpagus belligeravit adversus Joniam anno 2. Olympiadis LVIII. u. c. CCX. XIV. imperii Cyri. Cum Harpagus igitur Phocæam, absque ulla mora expunavit; credere possumus Phocæos eodem anno appulisse in Liguriam: nec multo post condidisse Massiliam, in cujus arce, ut refert STRABO *Lib IV. p.* 124. posuere Ephesium, & Apollinis Delphinii fanum. Ephesium autem fanum est Dianæ Ephesiæ.

16. Quæ cum ita sint, non improbabilis est Timæi apud SCYMNUM CHIUM opinio Massiliam conditam fuisse centum & viginti annos ante pugnam Salaminiam, sive, quod

idem

idem est, A. Varroniano ab u. c. CL. SCYMNI CHII verba sunt hæc ℣. 208.

Massilia vero est finitima
Urbs magna, Phocænsium colonia,
In Ligustica vero hanc condiderunt
Ante pugnam in Salamine factam
Annis prius, ut ajunt, centum viginti
Timæus sic refert vero, ut condita sit.

17. Eodem tempore Phocenses in Hispaniam advenerunt; nam JUSTINUS *Lib.* XLIII. *cap.* 3. ut jam vidimus antea, ita scripsit: *itaque in ultimam Oceani oram procedere ausi.* Rem HERODOTUS optime narrat. *Lib. I. cap.* 163. ait Harpagum Medum Phocæa prima Jonum civitate potitum esse, & continuo *cap. seq.* subjungit: *Hi Phocenses primi Græcorum longis navibus usi fuerunt: Adriamque simul & Tyrrheniam, Iberiam atque Tartessum occupaverunt. Navigiis autem utebantur non rostratis, sed penteconteris, (hoc est) lembis quinquagenum remorum. Hi cum primum Tartessum venirent, grati admodum fuerunt Regi, cui nomen erat Arganthonio, quique jam octoginta annis Tartessiorum regno præfuerat. Vixit autem annos centum viginti. Atque Phocenses Arganthonio ista occasione redditi sunt amici, quod videlicet Phocenses Joniam relinquentes, jussit in sua ditione sedes diligere ubicumque illis liberet. Verum cum hoc non persuassisset Phocensibus, intelligeretque interim Medum in eos exercitum ducere, pecunias numera-*

ravit liberaliter. Siquidem ipsius muri ambitus non paucorum est stadiorum, totusque a majusculis lapidibus; iisque affabre concinnatis. Et murus quidem ille a Phocensibus hoc pacto fuit constitutus.

18. Etsi vero tunc Phocæi nullam in Hispaniam deduxere coloniam; tamen paullo post Massilienses eorum filii id præstitere ut nunc apparebit.

19. STRABO *Lib. III. pag.* 109. ita scripsit: *Inter Sucronem* (hodie *Jucar*) *& Carthaginem* (nunc Cartagena) *tria sunt Massiliensium oppida non procul a fluvio: inter quæ celeberrimum est id, quod diurnam habet speculam; in promontorioque fanum Dianæ Ephesiæ magna religione cultum, quo ad res mari gerendas usus est antea & receptaculo Sertorius: munitum enim est editi loci natura, & latrociniis aptum* (propter *calas* quas vocant) *longe ab adnavigantibus cerni potest. Nomen est ei Dianium, habetque in propinquo bonas secturas ferrarias; tum exiguas insulas Planesiam, ac Plumbariam, ac lacum marinum superne, cujus circuitus stadiorum* CCCC.

20. Ait STRABO *oppidum* (Dianium) *habuisse speculam diurnam*, quæ quia Græce dicitur *Hemeroscopium*; idcirco aliqui recentes scriptores confundentes oppidum cum promontorio, vocarunt hoc *Hemeroscopium*. AVIENUS in *Ora Maritima* ℣. 476. memorat hanc speculam, additque suo tempore

op-

oppidum desertum esse.

Hemeroscopium quoque
Habitata pridem hic civitas, nunc jam solum
Vacuum incolarum, languido stagno madet.

21. Stagnum hoc, cujus meminit AVIENUS, est lacus ille de quo STRABO; & quia ejus caussa solebant vicini infirma valetudine uti, paucis ab hinc annis terra in eum conjecta repletum fuit. *Hemeroscopium* videtur fuisse in ipsa civitate; nam STEPHANUS BYZANTINUS ita scripsit: *Hemeroscopium Celtiberorum* (hoc est, Celtarum Hispanorum) *civitas Phocensium colonia, de qua Artemidorus Lib. II. Geographiæ. Phocensium* vero coloniam eam civitatem vocavit, quia Massilienses ejus conditores, aut Phocæi fuerunt, aut a Phocæis orti. Latine oppidum illud vocabatur *Dianium* teste CICERONE *Lib. I. in Verrem cap.* 34. & *Lib. V. cap.* 56. & 59. idemque est ac *Zanium* apud ISIDORUM Etymol. *Lib. XIV. cap.* 6. in fine, quod dubitanter ibi indicavit ALVARUS GOMEZIUS, & nulla hæsitatione affirmavit LAURENTIUS PIGNORIUS *de Serviis pag.* 492.

22. Prosequitur STRABO, & ait, in Promontorio fanum Dianæ fuisse: atque hæc oppido nomen dedit: nam, ut ait FESTUS, *Dianius, locus Dianæ consecratus.* Alludens STRABO ad hoc templum, *Lib. IV. p.* 124. scripsit, Massilienses Hispanis tradidisse ritus

tus Dianæ Ephesiæ avitos. Diana Græcis *Artemis* dicitur ob rationem quam attulit STRABO *Lib. XIV. pag.* 437. quod cum ignoraret PETRUS ANTONIUS BEUTER, homo pronus ad confundenda rerum vocabula ob exiguam sonorum similitudinem, dixit *Lib. I. Chronicor. cap* 13. oppidum, *Daimus*, quod ipse vocat *Atteimus* esse *Artemisium*: quo pacto ille confudit nomen Græcum cum Arabico, & *Dianium*, cum *Daimus*, quæ oppida inter se distant tres leucas & dimidiam.

23. Addit STRABO, illo oppido *ad res mari gerendas usus est arce, & receptaculo Sertorius: munitum enim est editi loci natura, & latrociniis aptum, longeque ab adnavigantibus cerni potest.* Mons hic dicitur hodie *Mongò*, & distinguitur a promontorio Ferrariensi ei vicino, hodie *Cabo Martin*, non *de San Martin*, ubi falso legimus in nota marginali FLORIANI CAMPENSIS *Lib. I. cap.* 2. *fol.* 9. *pag.* 2. MELA omisit promontorium *Dianium*, & solum memoravit *Ferrariense*, *Lib. II. cap.* 6. Certe quod de Dianio Sertorii arce, & munimento scripsit STRABO, confirmavit CICERO *Lib. V. in Verrem*, ubi *cap.* 56. C. Verris rapacitatem accusans, sic in eum scripsit: *Quicumque accesserunt ad Siciliam paullo pleniores, eos Sertorianos milites esse, atque a Dianio fugere dicebat*: & paullo post *cap.* 59. *ostendito, illos cum Sertorio fuisse, a Dianio fu-*

gientes ad Siciliam esse delatos.

24. Adjungit STRABO, *nomen ei esse Dianium*, *habereque in propinquo bonas secturas ferrarias* (in promontorio scilicet *de Finestrat*, de quo vide ESCOLANUM *Lib. IV. Hist. Regni Valentiæ cap. 3. num. 5.*) quæ dederunt nomen *promontorio Ferrariensi* jam memorato.

25. Denique ait STRABO *habere exiguas insulas*, *Planesiam* (hodie *isla de Santa Pola*) *& Plumbariam* (*isla de Benidorm*). De lacu jam supra diximus terra completum esse.

26. Hæc cum ita sint, Dianium situm erat in Contestania, uti colligitur ex PLINIO *Lib. III. cap. 3.* non in Hedetania, ut credidit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. Et promontorium Ferrariense Contestaniæ etiam attribui debet.

27. Altera Massiliensium Colonia, quam STRABO intellexit, & non expressit, est oppidum *Calpe*, ita dictum a monte ubi situm habet, quique hodie dicitur *Hifach*. Hujus nominis tres fuerunt montes consimiles, quorum duo celeberrimi, *Calpe* scilicet Asiaticus, & ad Fretum Herculeum; & tertius Sinus Ilicitani, qui oppidum habet retinens antiquum nomen.

28. *Calpe* Græcis idem est ac urceus, unde Latini dixere *Calpar genus vasi fictilis* teste FESTO in *Calpar*. Antea dixerat VARRO *Lib. I. de Vita Populi Romani*: *Antequam dolii nomen prolatum esset, cum id genus*

nus vasorum Calpar diceretur, id vinum Calpar appellatum. FESTUS etiam dixit: *Calpes ampullæ plumbeæ*, ubi animadvertente ISAACO VOSSIO ad MELAM *pag.* 195. non *Calces*, sed *Calpes* legi debet. Quamobrem quia tres illi montes similes sunt urnis, ideo *Calpes* dicti. Merito igitur vetus JUVENALIS SCHOLIASTES ad *Satiram XIV.* ℣. 279. ita scripsit: *Urnæ similis mons, inde Calpe in extrema Hispania.* Hinc facile intelligitur FESTUS AVIENUS in *Ora maritima* ℣. 348. ubi sic corrupte legitur:

Calpeque rursum in Græcia species cavæ
Gentesque visu nuncupantur, & jugi.

Quos versus LUDOVICUS NONIUS in *Hispania cap.* 10. sic restituere tentavit:

Calpeque rursum in Græcia species cavi
Teretisque vasis nuncupatur, & jugi.

A qua lectione parum abest altera ISAACI VOSSII *ad Melam pag* 195. qui pro *vasis* reposuit *vasi*, & nescio quid commentus de vase terete ac jugi, cui nunquam aqua deficit, nec unquam fluere cessat; quale est vas illud coeleste, quod Aquarius tenet. Sed mihi inusitata loquutio videtur, *vasi jugis*; & soloeca, aut saltem dubia, *jugi*, ut VOSSIUS scripsit. JANUS ULITIUS ad Nemisiani *Cynegeticon* ℣. 252. ita legit:

Calpæque rursum in Græcia specus cavi,
Teresque visu nuncupatur os jugi.

Quæ lectio nimis est violenta. Simplicior erit emendatio hujusmodi:

Cal-

Calpæque rursum in Græcia species cavæ
Teretesque visu nuncupantur, & jugi.

29. *Species cavæ* sunt formæ, & figuræ cavæ. Cujusmodi est *Calpe*, quem elegantissime descripsit POMPONIUS MELA *Lib. II. cap.* 6. *Aperit* (inquit) *deinde angustissimum pelagus, & proxima inter se Europæ atque Africæ littora montes efficiunt, ut initio diximus, Columnæ Herculis Abyla, & Calpe: uterque quidem, sed Calpe magis & pene totus in mare prominens. Is mirum in modum concavus, ab ea parte qua spectat occasum, medium fere latus aperit: atque inde ingressus totus admodum pervius, prope quantum patet specus.* Eædem illæ *species cavæ*, nuncupatæ *Calpæ*, sunt *teretes visu*, id est, videntur oblongæ & rotundæ: quia arduæ & angustæ, ut discere possumus ex FESTO in *v. teres*, adjuncto LUCRETIO *Lib. IV.* ℣. 354. & *seqq.* Præterea nuncupantur *jugi*, quo nomine AVIENUS significantius extulit notationem Græcam. Quod si displicet, substitue, *juga*.

30. Altitudinem Calpes Herculei indicavit SCYLAX CARYANDENSIS ita scribens: *In his quoque sunt Columnæ Herculeæ: ea quidem quæ in Libya, humilis: Europæa vero, excelsa.* Idem confirmavit STRABO *Lib. III. pag.* 96. *Ibi ergo* (inquit) *mons est eorum Hispanorum, qui Bastitani, & Bastuli vocantur, nomine Calpe, ambitu non magnus, cæterum in altitudinem magnam*

eve-

evectus, ut eminus videntibus insulæ speciem objiciat. Consonat NEMESIANI *Cynegeticon* ℣. 251.

Quin etiam gens ampla jacet trans ardua Calpes
Culmina cornipedum late fœcunda proborum.

Et FESTUS AVIENUS in *Descriptione Orbis* ℣. 106.

Scopuli stant ardui utrinque
Unus in Europam, Libyam procul aspicit alter.
Sic discreta freto procera cacumina celsis
Emicuere jugis; sic intrant saxa profundum,
Sic subeunt nubes, sic Cœlum vertice fulcit
Maura Abila, & dorso consurgit Iberica Calpe.

31. Observa *Calpen* emicantem jugo. Unde facile assentio JANO ULITIO, qui pro *parva* legi vult *alta* apud eundem AVIENUM in *Ora Maritima* ℣. 343.

Sunt parva porro saxa prominentia
Abila, atque Calpe: Calpe in Hispano solo,
Maurusiorum est Abila.

PAULLINUS etiam AUSONIO scribens insignivit Calpen *celso vertice*. Adde MARTIANUM CAPPELLAM *Lib.* VI. *cap. de Divis. Terræ*. Nec aliter esse potest: nam Calpe Herculeus conspicuus est in mediterranea litus Mau-

Mauritanum legentibus a sexaginta leucis Hispanicis. Unde mirum non est si eminus eum prospicientibus propter celsitudinem appareat instar columnæ, præsertim cum adeo angustus sit, ut qua parte maxime latus est, minus quam mille passus distendatur: & qua minimam habet latitudinem non totis quingentis passibus pateat.

32. *Calpe* Valentinus etiam præaltus est, non ita ut extulit MARINÆUS SICULUS *Lib. I. de Rebus Hisp. memorabilibus, cap. de Montibus*; sed tamen totius oræ est maritima specula ut *Lib. VI. Annal. Regni Valentiæ, cap.* 13. ait CASPAR ESCOLANUS, qui illius ambitum refert esse ducentorum passuum. BERNARDINUS GOMEZIUS MIEDES *Commentariorum de Sale Lib. II. num.* 76. scripsit, hoc *promontorium omnium Hispaniæ eminentissimum esse, ac vehementer acuminatum*, quod si ad montes non extendatur fortasse verum est.

33. Didicimus ex MELA, Calpen Herculeum pene totum in mare prominere. Valentinus etiam, nam præruptus & veluti abscissus est tribus lateribus quibus a mari alluitur. Ideoque Arabice *Hifac* dicitur.

34. Herculeus mirum in modum concavus. Valentinus habet specus mare versus, & ibi fontem aquæ dulcis, ut testatur ESCOLANUS *Lib. VI. Historiæ Regni Valent. cap.* 13. *num.* 6.

35. *Dorso consurgit Iberica Calpe*, ut di-

dixit AVIENUS : Valentinus etiam ex parte mediterranea , in cujus montis radice situm oppidum *Calpe* , antiquum retinens nomen: in quo etiam assimilatur Calpe Herculeo , qui urbem habebat cognominem , ut memoriæ prodidere NICOLAUS DAMASCENUS, ANTONINUS , TZETZES in *chil. v. num.* 217. & STRABO *Lib. III. pag.* 96. cujus hæc sunt verba : *Is* (Calpe) *ad dextram est e nostro mari foras navigantibus , & ad XL. inde stadia urbs Calpe vetusta & memorabilis , olim statio navibus Hispanorum. Hanc ab Hercule quidam conditam ajunt , inter quos est Timosthenes , qui eam antiquitus Heracleam fuisse appellatam refert , ostenditque adhuc magnum murorum circuitum , & navalia.* Nunc mons ille dicitur *Gibraltar* a *Gibel-Tarik* , id est , *monte Tarici.* Hic dicitur *Hisac* ab *Hasa* , vocabulo Arabico significante saxum præruptum , Hispane , *Peña enriscada* , teste PETRO ALCALÀ in *Vocabulista Arabico* : non a Syphace , ut *Lib. I. cap.* 18. *fol.* 101. somniavit PETRUS ANTONIUS BEUTER , quem sequuti sunt BERNARDINUS GOMEZIUS MIEDES , *Commentariorum de Sale Lib. II. num.* 76. ESCOLANUS *Lib. VI. Hist. Reg. Valent. cap.* 13. *n.* 7. & DIAGUS *Lib. II. Annal. Valentinor. cap.* 12. *fol.* 39. *col.* 4.

30. Quid si *Calpen* nostrum etiam conferamus cum Asiatico ? quem perbelle descripsit XENOPHON *Lib. VI.* de *Expeditione* Cy-

Cyri, *pag*. 380. & 381.? Ejus etiam pars quæ ad mare pertinet abruptus quidam scopulus est; noster ex omnibus partibus, adeo ut etiam ex mediterranea difficillimum habeat ascensum, & non sine periculo.

37. In Asiatico *Calpe*, portus sub ipso scopulo situs est. In Valentino etiam, ad latus sinistrum Dianium versus est *portus anguli del Rincon*, isque tutissimus. Et ad dexteram habet stationem, quæ antiquo Hispano nomine dicitur *baía*, de quo vocabulo Isidorus *Etymol. Lib. XIV. cap.* 8. indigenæ appellant *Gallicant*. Vide Escolanum *laudato loco*.

38. *Calpe* Asiaticus, quâ mediterranea versus se ad viginti stadia porrigit, terrenus est. Valentinus etiam in parte illa radicis, quæ ex prærupto monte sese protendens, terram contingit, & peninsulam facit, quæ facile insula fieret, si ancile duceretur.

39. Hoc vero differunt, quod *Calpe* Asiaticus carebat oleis. Valentinus vero situs est prope Altheam urbem Olcadum, ubi oleas assidue fructificare jam Theophrastus docuit *de Caussis Plantarum Lib. V. c.* 24. consulto Johanne Meursio in *Lectionibus Theophrasteis cap.* 6. *pag.* 104.

40. Tertia Massiliensium Colonia in Hispania est *Alone*, de qua sic Stephanus *Alonis insula est urbs Massiliæ*, auctore *Artemidoro. Gentile Alonita.* Ex Stephano discimus esse urbem Massiliæ, ex Pompo-

NIO MELA *Lib. II. cap.* 6. ejus situm agnoscimus. *Inde* (ab Hibero scilicet) *se in terras pelagus insinuat, & primum magno impetu admissum, mox in duos sinus, promontorio quod Ferrariam vocant, finditur. Prior Sucronensis dicitur* (Golfo de Valencia) *major hic & magno satis ore pelagus accipiens, & quo magis penetratur, angustior, Sætabin* (hoc falsum est, nam Sætabi amnis Sucroni sese adjungit) *& Turium ac Sucronem non magna excipit flumina: urbes complexus, & alias quidem, sed notissimas Valentiam, & Saguntum illam fide, & ærumnis inclytam. Sequens Ilicitanus* (Golfo de Alicante) *Alonem habet & Lucentiam, & unde ei nomen est, Ilicen. Alone* est *Guardamar*, quod oppidum Arabes non dixerunt *Tudemir*, sed situm in ejus nominis provincia, in peninsula, quam Artemidorus insulam vocavit ad os amnis Taderis, quem nunc *Seguram* vocant. Ibi salinæ sunt præstantissimæ, quæ Alone nomen dederunt. *Lucentia* vero est *Alicante*; & *Ilici*, *Elche*.

41. SCYMNUS CHIUS ℣. 201. Græcas Colonias recensens sic ait:

Ligures proximi sunt, & urbes Græcæ,
Quas Massilienses Phocæenses deducta Colonia condidere.
Prima quidem Emporium: Rhode vero secunda
Hanc equidem, qui prius pollebant, condiderunt
Rhodii.

Ait

Ait SCYMNUS CHIUS Massilienses Phocæenses deducta colonia condidisse Emporium. Idem docuit LIVIUS *Lib. XXVI. cap.* 19. *Ita* (Scipio) *cum XXX. navium classe (omnes autem quinqueremes erant) ostiis Tiberinis profectus præter oram Tusci maris, Alpes, atque Gallicum sinum, & deinde Pyrenes circumvectus promontorium, Emporiis, urbe Græca (oriundi & ipsi a Phocæa sunt) copias exposuit.* Et STRABO *Lib. III. pag.* 110. *Urbs ea* (Emporium) *a Massiliensibus condita.* Cum autem Massilienses a Phocæis orti fuerint, quos SILIUS ITALICUS cum Phocensibus confudit, ideo idem SILIUS *Punicor. Lib. III.* ℣. 369. ita cecinit.

42. Cur vero plurativo numero *Emporiæ* etiam dicantur, declaravit PLINIUS *Lib. III. cap.* 3. *oppidum* (inquit) *Emporiæ geminum, veterum incolarum, & Græcorum, qui Phocænsium fuere soboles.* Sed luculentius LIVIUS *Lib. XXXIV. cap.* 9. Jam tunc (A. Varroniano u. c. DLIX.) *Emporiæ duo oppida erant muro divisa. Unum Græci habebant a Phocæa, unde & Massilienses oriundi, alterum Hispani; sed Græcum oppidum in mare expositum, totum orbem muri minus quadringentos passus patentem habebat: Hispanis retractior a mari trium millium passuum in circuitu murus erat. Tertium genus Romani coloni ab divo Cæsare post devictos Pompeii liberos adjecti: nunc in corpus unum confusi omnes, Hispanis prius,*

postremo & Græcis in civitatem Romanam adscitis. Ex quo loco falsitatis convincitur inscriptio illa Emporii, quam exhibuerunt MORALES *Lib. VIII. cap.* 48. *fol.* 187. *pag.* 2. OCCO *pag.* 20. *num.* 4. LUDOVICUS NONIUS in *Hispania cap.* 86. ALDRETE *Lib. I. Orig. Linguæ Castellanæ, cap.* 14. *pag.* 93. PUJADES in *Chronico Lib. III. cap.* 85. *pag.* 136. THOMAS TAMAYO DE VARGAS *ad Luitprandum, pag.* 92. JOHANNES FRANCISCUS ANDREAS UZTARROZ *apud Lastanosam in Discursu II. de Nummis incognitis, pag.* 182. PELLICERIUS in *Conditione & lingua Primæva Hispaniæ fol.* 45. Sed eam inter spuria recensuit GRUTERUS *pag.* 2. *n.* 2. & merito: nam inscriptionem illam nemo vidit: vox *Hiberæ* cum aspiratione scribi debuit: linguæ ibi non duæ, sed tres in usu erant. Consules ibi nominati in Fastis non apparent: & licet Suffectos crediderit MORALES, id prius debuerat probare, ut taceam Consules Suffectos incœpisse tempore C. Cæsaris, uti animadvertit JAC. PHILIPPUS THOMASIUS *de Tesseris hospitalitatis, cap.* 3. *p.* 15.: adde quæ scripsi sub nomine Placidi Verani *pag.* 71.

43. Altera Massiliensium Phocæensium colonia fuit *Rhode* (hodie *Rosas*) sed, ut ait SCYMNUS CHIUS *loco supra laudato, hanc equidem qui prius pollebant condiderunt Rhodii.* SCYMNUM igitur, & alios intellexit STRABO *Lib. III. pag.* 110. cum ita scripsit: *Ibi*

quo-

quoque est Rhodope urbs Emporiensium. Quidam a Rhodiis conditam dicunt. Ubi pro *Rhodope* legi debere *Rhode*, admonuit ISAAC. CASAUBONUS, quæ lectio confirmatur ejusdem STRABONIS testimonio, qui *Lib. XIV. p.* 450. ita scripsit: *Narrantur & hæc de Rhodiis: res eorum mari secundas fuisse non ab eo demum tempore quo urbem quæ exstat hodie, condiderunt; sed etiam ante Olympiorum institutionem permultis annis eos procul a patria classem eduxisse hominum servandorum caussa, ita ut usque ad Hispaniam eos navigasse, & Rhodum condidisse postmodo a Massiliensibus occupatam.* Eandem opinionem sequutus est PLINIUS *Lib. IV. cap.* 4. licet falsum sit quod adjungit, ab ea nomen accepisse flumen Rhodanum, cum longe distent inter se, & nomen amnis Rhodani sit antiquius, eademque est PTOLEMÆI RHODEPOLIS *Lib. II. cap.* 6. *Rhodæ* sitæ ad Ticem flumen meminit MELA *Lib. II. c.* 6. in Iberia scilicet ut docuit STEPHANUS *in Rhode.* De maris imperio quod obtinuerunt Rhodii, vide CICERONEM *pro Lege Manilia, cap.* 18. STRABONEM *Lib. IV. pag.* 448. FLORUM *Lib. II. cap.* 7. & EUSEBIUM CÆSARIENSEM *ad annum* 1110.

44. His Coloniis addi debet *Mænaca*, de qua sic STRABO *Lib. III. pag.* 108. *Sunt qui hanc* (Malacam scilicet) *eandem putant cum Mænaca, quam ultimam Phocæorum versus occasum civitatem accepimus; sed errant:*

nam Mænacæ longius a Calpe dissitæ atque eversæ rudera Græcanicæ urbis vestigia retinent : Malaca magis ad Punicæ formam accedit. Errorem a STRABONE reprehensum fecit suum AVIENUS, qui in *Ora maritima versu* 425. ita scripsit :

Hos propter autem mox jugum Barbetium est
Malachæque flumen urbe cum cognomine,
Mænace priore quæ vocata est sæculo.

45. Illud cum de Græcis agamus, omittendum non est, Hispaniam a Græcis dictam esse *Hesperiam* ab *Hespero*, quod nomen Græce idem significat, ac *auroræ terminus*, quo existente apparet stella Veneris, ideoque hanc etiam significat. Idcirco Græci, qui navigabant occidentem versus, vocarunt *Hesperiam*, partem occidentalem, quæ respectu illorum est non solum Hispania, sed etiam Italia. Ideo VIRGILIUS *Lib. I. Æneidos* ℣. 534. ait :

Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ:
Œnotri coluere viri : nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Et *Lib.* III. Æneidos Cassandræ vaticinia referens, a ℣. 183. ita cecinit :

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Nunc

Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro;
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiæ venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?

HORATIUS etiam *Carminum Lib. I. ode 36.* Hispaniam nominavit *Hesperiam ultimam.* MACROBIUS *Lib. I. Saturnal. cap. 3.* hujus etymi rationem dedit. Ut vero intelligamus Hispaniam, non est necesse addere ultimam ut voluit SERVIUS GRAMMATICUS ad ℣. 534. *I. Æneid.* ubi aliam, eamque falsam nominis notationem designavit hoc modo: *Hesperiæ sunt duæ: una, quæ Hispania dicitur; altera, quæ est Italia: quæ hac ratione discernuntur, aut enim Hesperiam solum dicis, & significas Italiam: aut addis ultimam, & significas Hispaniam, quæ in occidentis est fine; ut Horatius:* Qui hunc Hesperia sospes ab ultima. *Et hæc est vera Hesperia ab Hespero dicta, id est, stella occidentali. Cæterum Italia Hesperia dicitur a fratre Atlantis, qui pulsus a germano, Italiam tenuit: eique nomen pristinæ regionis imposuit, ut Hyginus docet.* Verum hoc postremum mera fabula est. Idem sentiendum de eo, quod ex aliorum, ut solet, opinione, scripsit B. ISIDORUS *Etymolog. Libro III. cap. 61. Hesperus stella occidentalis*

lis, *quam cognominatam perhibent ab Hespero Hispaniæ Rege*. Sed posteaquam ita scripserat idem eruditissimus vir *Lib. XIV. c.* 4. ita affirmavit: *Hesperiæ nomen ab Hespero stella*: quod proculdubio verum est.

46. Iidem Græci amni *Bæti* nomen dederunt, quod STEPHANI BYZANTINI auctoritate confirmatur hoc modo: *Bætis fluvius in Iberia*, *qui ab indigenis Perces appellatur. Et regio Bætica dicitur*, *quod nomen a genitivo* Βαίτιος *formatur*. Ait STEPHANUS indigenas appellavisse *Percem* hunc amnem. Quod vocabulum probabiliter derivatur ab Hebraico *Perca*, quod significat *stagnum*, quia hic amnis in ejus capite prope Cordubam, & in ostio extenditur, & efformat veluti stagnum: & ideo B. EULOGIUS in *Apologetico Martyrum pag.* 316. vocavit eum pelagus, & hodie nomen retinet. Magnitudinem ejus circa ostium jam designavit AGATHEMERUS *Lib. II. de Geographia cap.* 10. ubi de maximis fluminibus loquens, ita scripsit: *Sunt & alii fluvii magni circa ostia*, *præsertim Eridanus*, *Iberus*, *Bætis*, *Sequana*, *Durias*, *atque etiam Rhodanus*. JOHANNES MARIANA *Lib. I. de Rebus Hispaniæ*, *cap.* 7. scripsit amnem *ita vocatum a domibus*, *& oppidis juxta eum sitis*, *quia Bætis*, *& Beth hebraice domum significat*. Sed hoc est vocabula antiqua a recentibus rebus desumere: ut taceam *Bætis* scribi cum diphtongo, & sine aspiratione, & *Beth* sine di-

diphtongo , & cum aspiratione. Hoc nomen esse Græcum confirmatur auctoritate B. ISIDORI, qui *Etymol. Lib. XIII. cap.* 21. ita scripsit : *Bætis autem dictus, eò quod humili solo decurrat. Βαθὺ enim Græci humile, vel mersum vocant.* Itaque ISIDORUS ait ita nominatum, quia fluit profunde. PAUSANIAS in *Eliacis posterioribus, cap.* 196. allusit ad hoc etymon ita scribens : *Tartessum certe fluvium Hispaniæ esse tradunt, ostiis duobus in mare descendentem : amni cognominem urbem inter utrumque alveum sitam. Eum fluvium omnium Hispaniæ fluminum maximum, & præaltis vorticosum gurgitibus, Bætim hujus ætatis homines nominant. Sunt & qui prisco nomine Tartessum Carpiam vocitatam dicant.* Hic multa nos docuit PAUSANIAS : Primum, Priscum hujus amnis nomen fuisse *Carpias*; secundum, *Tartessus*, quod nomen ei dederunt STRABO *Lib. III. pag.* 102. & AVIENUS in *Ora maritima* ℣. 225. & 284. ; tertium, & ultimum *Bætis*, quasi dicas *profundum*, quemadmodum ob eandem rationem Græci *Bathin* nominarunt alium amnem Iberiæ. His nominibus quartum *Perces* addi videtur, quod varianter legitur apud T. LIVIUM *Lib. XXVIII. cap.* 22. ubi scribens res quæ in Hispania contigerunt A. Varroniano u. c. DXLVIII. ita dixit: *Martius superato Bæti amni, quem incolæ Circen appelant, duas opulentas Civitates sine certamine in ditionem accepit.* Ubi alii *Cirtius* legunt,

gunt, ut observavit LIPSIUS *Epistolicar. quæst. Lib. IV. ep.* 4. non deest, qui *Cirtium* legat, & MARIANA noviter *Ciritum*, sed ex STEPHANO didicimus legendum esse *Perces*, & sic apud LIVIUM legi debet.

47. Atque hæc de Græcorum Coloniis dixisse sufficiat: de locorum autem rerumque nominibus ab illis invectis in Hispanam linguam si quis plene scire avet, poterit consulere BERNARDUM ALDRETUM in *Origine linguæ Castellanæ*, qui nimius est in hoc argumento. Hoc autem non omittam B. HIERONYMUM in *Traditionibus Hebraicis* ita scripsisse: *Legamus Varronis de antiquitatibus libros, & Asinii Capitonis, & Græcorum Phlegonta, cæterosque eruditissimos viros, & videbimus pæne omnes insulas, & totius orbis litora terrasque mari vicinas Græcis accolis occupatas, qui, ut supra diximus, ab Amano, & Tauro; montibus, omnia maritima loca usque ad Oceanum possidere Britannicum.* Idem in Proemio *II. Lib. Commentarior. in epistolam S. Paulli ad Galatas* ita scripsit: *Ad Hispanias transgredior. Nonne Saguntum Græci ex insula Zacyntho profecti condiderunt? & oppidum Tartessum, quod nunc vocatur Carteja, Jones Græci homines locasse referuntur? montes quoque Hispaniarum Calpe, Idrus, Pyrene; item insulæ Aphrodisiades, & Gymnesiæ, quæ vocantur Baliares, nonne Græci sermonis indicia demonstrant?*

CA-

CAP. XVIII.

Statuitur qua ratione investigari debeat origo Hispanorum oppidorum, in quibus invenitur vox UR *, aut alia ab ea derivata.*

1. NImis longus essem, si Romanorum, & Arabum Colonias persequi vellem, quare ne ab argumento mihi proposito recedam; aliqua nunc de linguis eorum, qui in Hispaniam advenerunt, dicenda sunt: nam si oppidorum nomina quæ ab UR originem habent, propria sunt alicujus gentis, quæ in Hispaniam venerit; non inani conjectura illi sunt tribuenda.

2. Primum omnium autem sic statuendum est. Oppida quæ non condiderunt Phoenices, quos primos omnium in Hispaniam incolis jam repletam advenisse scimus, uti ab iis condita fuerunt Gadir, Malaca, Tyris: neque Celtæ ut desinentia in BRIGA, & DUNUM: neque Poeni, ut Barcino, Carthagonova, Cartalias, Carteja, Cartima, & finita in IPO: neque Græci, ut Emporiæ, Rhode, Saguntum, Dianium, Calpe, Alone, Mænaca, Portus Menesthei: neque Romani, ut Emerita, & alia permulta: neque Arabes, quorum plurima possunt nominari: censenda sunt aut incertæ originis, aut indigenarum Coloniæ, ut Acontia, vel Acu-

Acutia, Althea, Arbucala, Aspis, Arsa, Astapa, Astigi, Attubi, Bæcula, Carpeia, Castulo, Corduba, Dera, Ebora, Elmantica, Hispal, Ilerda, Ilici, Ilurbida, Mentissa, Numantia, Obba, Obulco, Olbia, Oretum, Orisia, Oringis, Palantia, Salduba, antiquum Cæsaraugustæ nomen, Salmyca, Segovia, Sex, Sicane, Toletum, cujus etymon non est deducendum ex Hebraica voce *Toledoth*, ut quidam censuerunt apud ARIAM MONTANUM in *Abdiæ cap.* 1. perinde quasi Judæi eam condiderint, quod aperte falsum est, ut taceam antiquitus non *Toledum*, sed *Toletum* nominatum fuisse, ut constat ex LIVIO *Lib. XXXV. cap.* 22. neque ex Græca voce, ut voluit ALDRETUS duas nominis notationes indicans a veritate alienissimas *Lib. II. Originis Linguæ Castellanæ, cap.* 3. neque ex Arabico vocabulo, ut auguratus fuit PELLICERIUS *Lib. III. Annal. Hispaniæ num.* 59. nam anno 93. Hegiræ, qui cœpit 19. Octobris æræ Christianæ 711. Taricus Toletum expugnavit, ut refert ELMACINUS *Sarracenicæ Histor. Lib. I. c.* 13. nihil vero faciendi sunt versus ab impostore notissimo insuti FESTO AVIENO in *Ora maritima*, de quibus judiciose tractavit NICOLAUS ANTONIUS in *Biblioth. Veter. Hispan. Lib. II. cap.* 10. *n.* 413. & in *Censura Historiar. fabulosar. Lib. II. cap.* 3. *num.* 3. Incertæ originis Coloniis adjungi debent *Trite*, *Tucci*, *Xera*, & quamplurimæ aliæ,
quas

quas ad Nationes advenas referre non possum, & antiquissimæ sunt.

3. Deinde aliquid dicendum est de linguis eorum qui post primum incolatum in Hispaniam advenerunt, ut videamus an ex eorum vocabulis quæ supersunt, aut ex Historia cujusque gentis, aliquarum Coloniarum originem investigare possimus.

CAP. XIX.

De linguis eorum, qui in Hispaniam advenerunt.

1. INcipiamus igitur ab Hispania primitiva. Et licet de antiquissimis linguis disputare difficillimum sit ob librorum defectum; hoc tamen certum est, eruditorum consensu, Hebraicam linguam esse omnium, quarum reliquiæ supersint, antiquissimam: &, ut loquar cum HIERONYMO *ad cap. 3. Sophoniæ, omnium linguarum esse matricem*, vel, ut ita dicam cum AUGUSTINO *Lib. XVI. de Civitate Dei, cap.* 11. *omnium hominum communem.* Cum initio igitur universalis esset; postea tamen Dei voluntate effectum est, ut eorum qui insane turrem Babylonicam construebant, linguæ ita confunderentur, ut non audiret unusquisque vocem proximi sui, GENESIS *XI. vers. 7.* unde linguarum distinctio esse coepit. Sed existimant aliqui viri doctrina præstantes, lingua-

guarum diversitatem non fuisse tantam, ut omnis omnino illarum affinitas extincta fuerit. Nam molitioni Turris Babylonicæ impediendæ satis erat, si alii aliorum loquelam non intelligerent. Post gentium igitur divisionem, linguarum similitudo eò major fuit, quò proximior fuit illarum divisio. Quia singulæ linguæ minus corruptæ erant, vel per litterarum transpositionem in vocabulis, vel ob pravam parentum pronuntiationem, quam filii imitantur; vel ob perversam filiorum imitationem ex articulandi difficultate natam, quæ si diligenter non reprehenditur, perseverat, & promiscua fit; vel ob novas dictiones, vel ob linguarum permixtionem e matrimoniis, aut gentium migrationibus ortam; vel ob similes alias permultas caussas. Itaque quantalibet Chaldaicæ, Arabicæ, Ægyptiacæ, aliisque autiquioribus, cum Hebraica omnium matre intercedat diversitas; nihilominus, ob earundem inter se affinitatem, & similitudinem, si vocabulorum radices diligenter conferantur, qui unam recte noverit, reliquas sufficienter noverit. Idemque dicendum esset de Hispana lingua antiquissima, si ejus aliquæ exstarent reliquiæ certæ. Quamobrem, si oppidorum antiquitatem probare possemus, non improbabiliter dici posset, oppidorum nomina ab UR incipientia, aut desinentia, primis Hispaniæ incolis eorumve posteris tribui debere, ut Urbicua, Urbona, Urci, Urcesa, Urgavo, Urgellum, Urgia,

Uri,

Uri, Uria, Urso, Subur, Ebura. Verum quis per legitimas probationes, aut conjecturas probabiles eò antiquitatis ascendet?

2. Sed, quid si verum esset Iberûm in Hispaniam adventus? Tunc, sicut refert JOSEPHUS *Antiquitat. Lib. I. cap.* 6. Thobelum Tobelis sedem dedisse, qui ætate ejusdem Josephi Iberi vocabantur; Iberi loquuti sunt Thobeli lingua. Sed suo loco diximus adventum hunc verisimilitudine carere. Idemque de Persis dicendum erit uti supra probavimus.

3. Phoenicia etiam lingua, quæ proculdubio in aliquibus Hispaniæ oris maritimis in usu fuit, etiam Chaldaicæ, & Hebraicæ fuit cognata; nam Phoenicia in Syria sita est, ut suo loco diximus. Hinc B. AMBROSIUS *sermone* 35. *de verbo Domini super Lucam*, *Syrus qui vicinus Hebræo est, & sermone consonat in plerisque, & congruit*: & B. HIERONYMUS in *Prologo libri Regum* ait: *Syrorum quoque, & Chaldæorum lingua testatur, quæ Hebrææ quoque magna ex parte confinis est.* B. ISIDORUS *Etymolog. Lib.* XIX. *c.* 2. ita scripsit: *Chanaan, a quo Afri, & Phoenices, & Chananæorum decem gentes.* Phoenicum Colonias esse scimus Gadir, Malacam, & nonnullas alias. Ignoramus autem an aliquam Coloniam induxerint, cujus nomen incipiat ab UR, aut in illud desinat.

4. Celticam linguam memorat PLINIUS *Lib. III. cap.* 1. inquiens: *Celticos a Celtibe-*

beris ex Lusitania advenisse manifestum est, sacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica distinguuntur. Celticæ linguæ distinctæ a Gallica meminit SEVERUS SULPICIUS *Dialogo I. cap. ult.* ubi Gallicam intelligit Romanam corruptam. Tempore autem Sidonii Apollinaris jam despiciebatur in Gallia Celtica lingua, cum *Lib. III. epist. 3.* Ecdicio scripserit: *Mitto istic ob gratiam pueritiæ tuæ undique gentium confluxisse studia litterarum, tuæque personæ quondam debitum, quod sermonis Celtici squammam depositura nobilitas, nunc Oratorio stilo, nunc etiam Camænalibus modis imbuebatur.* Hujus linguæ aliqua vocabula collegi in meis *Originibus linguæ Hispanæ pag.* 82. *&* 83 Ejusdem linguæ plurima vocabula conservant Vascones, ut ex collatione utriusque linguæ observarunt eruditi, admonente VOSSIO. Celticam vero linguam Germanis, Hispanis, Britannis, & Illyriis maximam partem communem fuisse docuit eruditissimus Philippus Cluverius, comprobantibus GERARDO JOHANNE VOSSIO in *Præfatione de Vitiis sermonis, & glossematis Latino barbaris*, & PETRO LAMBECIO *Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea Lib. I. pag.* 94.

5. Celticam linguam si qui STRABONE scribente loquebantur, proculdubio erant, qui eo tempore Celtiberi, & Verones dicebantur, nam *Lib. III. pag.* 109. ita scripsit de Hispanis loquens: *Qui, si conjunctis viribus tue-*

ri

ri se noluissent, nunquam licuisset, neque Carthaginiensibus incursione facta majorem Hispaniæ partem nemine prohibente subigere, neque ante hos Tyriis, & Celtis, qui nunc Celtiberi & Verones dicuntur: neque postea temporis latroni Viriattho & Sertorio, & si qui alii ad majus in Hispanos imperium animos adjecerunt. De Celtiberia autem & Veronibus sic ait idem STRABO *Lib. III. pag.* III. & 112. *Porro Idubeda superata statim Celtiberia aditur, ampla regio, & inæqualis. Major ejus pars aspera est, & amnibus alluitur: nam per hanc defluunt Anas, & Tagus, ac deinceps alii fluvii, qui in Hispaniæ hac parte orti in mare occiduum deferuntur. Ex his Durius fluvius Numantiam, & Serguntiam præterlabitur. Bætis ex Orospeda ortus, per Oretaniam in Bæticam fluit. A Celtiberis versus septentrionem sunt Verones.* Caput Celtiberiæ Segobricenses, Clunia finis teste PLINIO *Lib. III. cap.* 3. Præter Segobrigam in Celtiberia collocavit PTOLEMÆUS *Lib. II. cap.* 6. Nertobrigam, & Arcobrigam; unde non male quis conjecerit, oppidorum nomina desinentia in BRIGA condita fuisse a Celtis, a quibus hoc nomen per Hispaniam propagatum est. Adde eundem Ptolemæum, Celticos populos explicantem *Lib. II. cap.* 5. has urbes numerasse: *Lancobriga, Mirobriga, Arcobriga, Merobriga, Arabriga, Talabriga.* Nullo autem modo hæc terminatio BRIGA, confundi debet cum *Bri-*

va, quod significat idem ac pons. Ideoque *Brivaisara* apud ANTONINUM in *itinere a Cæsaromago Lutetiam usque*, hodie *Pontoise*, eadem est ac *Pons Isaræ* in *Chronico inter Duchesnii Normannica*, *pag*. 5. cumque DUR Celtice significet aquam, non male quis dixerit apud eundem ANTONINUM in *itinere ab Augustoduno Lutetia Parisiorum*, *Brivodurum* significare trajectum quendam. Hinc etiam peti potest *Durii* fluminis etymologia, & vocabuli *Dureta*, quod Hispanum est, & significat sedile ligneum, introductum ad pedes levandos, ut videre est apud SUETONIUM in *Augusto cap*. 82.

6. Hæc cum ita sint, ineptissimi censeri debent, qui tot oppida incipientia in BRI, aut desinentia in BRIA, BRICA, aut BRIGA, ædificata fuisse fingunt a *Brigo* Rege: cum e contrario ob illorum oppidorum multitudinem finxerit JOHANNES ANNIUS Regem *Brigum* quem impostorem sequuti sunt ALFONSUS VENERO in *Enchiridio temporum*, FLORIANUS CAMPENSIS *Lib. I. cap*.7. FRANCISCUS TARRAFA *de Origine ac rebus gestis Regum Hispaniæ*, *pag*. 11. PETRUS ANTONIUS BEUTER *Lib. I. cap*. 9. HIERONYMUS PUJADES *Lib. I. cap*. 14. : sed longe aliter censuerunt JOHANNES LUDOVICUS VIVES, JOHANNES VERGARA, MELCHIOR CANUS, JOSEPHUS PELLICERIUS, aliique viri eruditissimi.

7. A Celtica lingua ad *Punicam* transeamus, quæ etiam in Hispania in usu fuit

ob

ob Poenorum dominationem: licet fateri debeamus, diversam fuisse Priscam linguam Hispanam a Punica, ut indicavit CICERO *Lib. I. de natura Deor. cap.* 30. ita scribens: *At primum quot hominum linguæ, tot nomina Deorum. Non enim ut tu Vellejus, quocumque veneris, sic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hispania*: & disertius *Lib. II. de Divinat. cap.* 64. *similes enim sunt Dii, si ea nobis objiciunt, quorum nec scientiam, neque explanatorem habeamus, tanquam si Pœni, aut Hispani in Senatu nostro loquerentur sine interprete.* Punicæ linguæ origo est Phoenicia, hujus Hebraica. Audiamus B. HIERONYMUM *in Hieremiam Lib. V. cap.* 25. *Tyrus, & Sidon in Phœniciæ litore principes civitates, quæ, & ipsæ Babylonio veniente superatæ sunt, quarum Carthago Colonia: unde & Pœni sermone corrupto quasi Phœni appellantur. Quorum lingua Hebrææ linguæ magna ex parte confinis est.* Merito itaque PRISCIANUS *Lib. V. col.* 644. ita scripsit: *maxime cum lingua Pœnorum, quæ Chaldææ, vel Hebrææ similis, & Syræ, non habeat neutrum genus.* Adde Afrorum, & Phoenicum unicam fuisse originem. Unde B. ISIDORUS *Etymol. Lib. IX. cap.* 2. ut alibi diximus, ita scripsit: *Chanaan, a quo Afri, & Phœnices, & Chananæorum decem gentes.* Inde in Africa nata illa mixtura linguarum Africanæ, & Phoeniciæ, quam *semiphœniciam* vocavit PROCOPIUS *Lib. II. Historiæ*

Vandalicæ pag. 88. ita scribens : *Maritima ora a Sidone ad Ægypti limitem extenditur, nomen habebat Phœnices. Rex unus imperabat, ut omnes qui res Phœnicias scripsere consentiunt. In eo tractu numerosæ gentes erant, Gergesæi, Jebusæi, quosque aliis nominibus Hebræorum Annales memorant. Hi homines ut impares se advenæ imperatori videre, derelicto patriæ solo ad finitimam primum venere Ægyptum; sed ibi capacem tantæ multitudinis locum non reperientes, erat enim Ægyptus jam ab antiquo fœcunda populis, in Africam profecti, multis conditis urbibus, omnem eam Herculis Columnas usque, obtinuerunt: ubi ad meam ætatem sermone Phœnicio utentes habitant. Etiam in Numidia castellum posuere quo loco nunc urbs est dicta Tingis. Hic duæ stant e lapide candido Columnæ propter magnum fontem, inscriptæ habentes Phœnicias litteras, quarum ex sermone Phœnicio hæc est interpretatio &c.* Inscriptionem omitto, quia fictam puto. Quantum vero viguerit in Hispania lingua Punica, manifeste colligitur ex multitudine Poenorum, Hispaniæ oram incolentium præsertim prope Fretum Herculeum. Quò pertinet illud HORATII *Carm. Libro II.* ode 2.

Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

Ubi utrumque Poenum intellexit incolentes utras-

utrasque Africæ & Hispaniæ oras Herculeo Freto contiguas. An Poeni urbes aliquas condiderunt, quarum nomina ab UR incipiant, aut in UR desinant, dubitari potest, cum apud PTOLEMÆUM in Africa occurrant *Urbara Lib. IV. cap.* 2. *Siur portus Lib. IV. cap.* 3. *Subur* civitas *Lib. IV. cap.* 1. & inde licet longiuscule propagata, *Ubrix*, *Lib. IV. cap.* 6. *Vobrix*, *Lib. IV. cap.* 1.

In Græca, & Latina lingua supervacuum est hujusmodi nominum originem inquirere. Præterea antiquiora sunt, Arabum in Hispaniam adventu.

CAP. XX.

Argumenti propositi conclusio.

I. EX huc usque dictis colligitur, vocem UR deberi priscis Hispaniæ incolis, qui una ex primitivis linguis loquuti sunt: ab UR vero derivata deberi aliis Gentibus, & præcipue Celtis: nam in Celticis populis frequentissimus fuit usus oppidorum nominum desinentium in BRICA, aut BRIGA: & ab illis in universam Hispaniam propagatus est. Quod ego, SOCIETAS ILLUSTRISSIMA, solum indicare volui; SOCIIS vero meis eruditissimis dijudicandum relinquo, TUÆque sapientissimæ censuræ offero hæc quantulacumque ingenii mei conamina. Tu vero aliorum SOCIORUM doctissimis operibus perge

in dies celebrior fieri, & politissimæ eruditionis famam, quam jure merito nacta es; constanter retine. Quod utinam faxit Deus Opt. Max. Olivæ, pridie Cal. Octobreis Anni MDCCLV.

IN-

INDEX

RERUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE continentur. Numerus Romanus *caput*, Arabicus *articulum* capitis significat.

Al-

B

Bæ-

C

D

Di-

E

F

G

Ga-

H

I

L

Le-

M

Mei-

N

O

Pax

spa-

Q

R

S

de

V

IIR,

Za-

Z



[illegible]

[illegible]